

MAY 15 1921

4 vol 3 1800


S 7


No. 72760



Presented
to the
**Library of the
Medical Society
of the
County of Kings**
by
EXCHANGE
(UNIVERSITY LIBRARY OF
UPPSALA)

MAY 23 1931





MARCI ANTONII PLENICIZ,
MEDICI VINDOBONENSIS,
**OPERA MEDICO
PHYSICA,**
IN QUATUOR TRACTATUS DIGESTA,
QUORUM
PRIMUS
CONTAGII MORBORUM
IDEAM NOVAM UNA CUM
ADDITAMENTO
DE
LUE BOVINA,
ANNO 1761. EPIDEMICE GRASSANTE,
SISTIT.
SECUNDUS
DE
VARIOLIS,
TERTIUS
DE
SCARLATINA,
QUARTUS
DE
TERRAE MOTU,
SED PRÆCIPUE ILLO HORRIBILI AGIT.
QUI PRIMA NOVEMBRIS ANNO 1755. EUROPAM,
AFRICAM, ET AMERICAM CONQUASSABAT.



VINDOBONÆ,

TYPIS, JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAR. REGIE
APOST. MAJESTATIS AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.

M D C C L X I I

516483

Multa egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non
peregerunt, multumque adhuc restat operis, multum
restabit, nec ulli nato post mille saecula praecedetur
occasio, aliquid adhuc adjiciendi. Seneca Epistola 64.



12 NOV 1999

199916368

PRÆFATIO AUTORIS

A D TRACTATUM DE CONTAGIO.



etus est eruditorum querala , quotidie augeri librorum molem , idem sonantium , idemque sentientium crambem totiesjam coctam ultronee , saepiusque recoqui , unde crescit quidem librorum numerus ; ast non , quod in votis est , scientiarum , Reipublicæque commodum . Tales philotechni potius compilatores , quam autores dicendi sunt ; qui quasi jurantes in verba magistri nefas esse credunt a majorum sensu recedere , novumque quidquam moliri ; sic enim percorum ritu sequuntur antecedentium

*gregem pergentes, non qua eundum,
sed qua itur.*

*Ignominiosum sane, quod tam-
diu vixerimus, sine ulla inventione in
aliorum dicteriis semimortui, &
quasi consepulti. Ita Seneca cap. I.
de vita beata.*

Libet igitur, & licet quandoque
a communi autorum sensu rece-
dere, & minus tritam sectari viam,
dum ex hac plus, quam ex aliisemo-
lumenti expectandum est.

Idem fatum attingit nostram
de contagio sententiam ; a multis
enim jam annis non arrisit illa com-
munis, & a plerisque etiam cele-
bratissimis viris recepta contagium
explanandi ratio, qua, ut dein per
de-

decursum operis patebit , ejus es-
sentia semper majoribus obvolvitur
tenebris, terminis generalibus , vo-
cibusque obscuris exprimitur , & ex-
planatur , ut exinde nec cognosca-
tur , quid sit , unde dependeat , aut
quomodo curari possit.

Materiæ gravitas , artis medi-
cæ decus & Reipublicæ commodum
exigit , ut intimius in posterum ,
quam huc usque factum est , in con-
tagii essentiam inquiramus . Nihil
enim magis horrendum , & tam ho-
minibus , quam brutis magis exitiale ,
quam ipsum contagium , nam proh
dolor ! sæpiissime contingit ab uno in-
numera alia animalia eodem affici ,
contaminari , & deleri contagio ;

integras provincias , frequentesque civitates suis privari incolis ; numerosissimos brevi temporis intervallo decrescere exercitus. Unde mirum non est , si parentes contra naturæ legem horreant suas contagio afflatas dilectissimas proles ; si communio inter matrimonio junctos exinde tollatur , si denique arctissimæ amicitiæ inter homines vincula solvantur. Hoc sane in morbis malignis , petechialibus , variolosis , aliisque similibus ad evitandum dirissimum eorum contagium justissimo titulo quotidie fieri , observamus.

Quapropter artis medicæ plurimum interest , si non evidentem , saltem verisimilior em contagii ex-

hi-

hibere ideam; ast iste ipse conatus talibus nos involvit difficultati- bus, ut, qua ratione nos expedia- mus, vix pateat via, duram certe ad digerendum suscepimus provin- ciam, ut dubius hæream, an con- tagium plus scribenti, an illi, quieo affectus est, negotii faceffere queat.

Verum in re tam diffcili auden- dum est aliquid, ut aliis, qui plus otii nacti sunt, aperiatur via, unde per diversa, & probata experimen- ta essentia, & cura contagii magis pateat; neque enim uno conatu aut impetu, sed diversos veluti per gradus, quæ in occulto latent, ex- tricari possunt. Quare primis no- stris conatibus non tantum natu- ram contagii in genere explana-

bimus ; sed attingemus , & rumina-
bimur pariter illa , quæ cum conta-
gio necuntur , & ad hæc usque tem-
pora parum expolita inveniuntur ; ut
est putredo corporum ; puris con-
fectio in diversis morbis ; ars , veteri-
naria dicta , seu diversi brutorum con-
tagiosi morbi , variolarum , morbillo-
rum , aliorumque contagiosorum
morborum hoc tempore jam nota in-
fitio , inoculatio ; tandem rubigo ,
peffimus vegetabilium morbus , eo-
rumque pestis alias dictus ; item plura
alia huic operi inmixta invenies , quo-
rum lectionis non pœnitabit . Qua-
re totum opus in tres partietur sectio-
nes , quarum Prima de Contagio in
genere ; Secunda de putredine , & tan-
dem Tertia de rubigine tractabitur .

Se-



*Series rerum notabiliorum, quæ in
Tractatu de contagio continentur.*

SECTIO PRIMA.
DE
CONTAGIO IN GENERE
AGIT.

I.

Quamvis evidenter demonstrari non possit,
morbos contagiosos ante universale diluvium
vigiisse, probabile tamen est, eis-
dem etiam tunc genus humanum afflictum fuis-
se. §. I.

II. Ex sacris & profanis constat, mox post
diluvium tales morbos graffatos fuisse. §. 2.

X 5

III.

I N D E X

III. Quamvis morbi contagiosi aliquid Divini præse ferre videantur, nihilominus tamen licet in eorum naturam, & essentiam indagare. 4. 5. 6.

IV. Quaratione morbi contagiosi, & epidemicis inter se differant. 10. 11. &c.

V. Quam ob rem videtur alia esse ratio & causa morborum pure pute epidemicorum, & alia contagiosorum 16. 17. 18. &c.

VI. Afferuntur diversæ de contagio sententiæ, & tandem illa, quæ principibus de contagio questionibus magis satisfacit, omnibus aliis præferenda erit. 20. 21. 22. 23. &c.

VII. Afferuntur principes de contagio questiones, & difficultates. 21. 22. &c.

VIII. His difficultatibus satisfieri non potest per quasdam fermentationes aut effervescentias miasmatis contagiosi cum nostris humoribus. 29. 30. 31. &c.

IX.

SECTION. ET PARAGRAPH.

IX. *Sive miasma contagiosum dicatur esse acidum sive alcali sive neutrum difficultates de contagio minime solvere potest.* 34. 35. &c.

X. *Miasma contagiosum sine omni fundamento a plerisque venenosum, & arsenicale vocari solet.* 36. 37. &c.

XI. *Quapropter hic ostenditur illa communis, & a plerisque celeberrimis viris recepta sententia, in sale quodam volatili alcalino naturam contagii reponens, tam parum, quam aliæ essentiam contagii exhaustire.* 40. 41
42. &c.

XII. *Natura contagii, ejusque phænomena videntur optime per principium quoddam seminale verminosum exponi, & explicari.*
46. 47.

XIII. *Hæc sententia diversis rationibus, & experimentis corroboratur, & ab adversariorum injuriis vindicatur.* 49. 50.
51. &c.

SE-

I N D E X

S E C T I O S E C U N D A

*Agit de putredine, ejus natura,
causis & effectibus.*

XIV. Cum a putredine tot morbi acuti, contagiosi, per quam periculosi dependeant mirum sane est, quod hucusque in naturam putredinis tam parum indagatum fuerit. 60. 61.

XV. Discutiuntur diversæ Autorum alias receptæ de putredine sententiæ. Ultroque ostenditur, quod natura putredinis ex illis erui non possit. 64. 65, &c.

XVI. Ad eruendam veram naturam putredinis debent quædam, que in rebus putridis observantur, rite examinari. 67. 68.
&c.

XVII. Ex quibus dein deducitur, quod tunc dicamus aliquod corpus putrefactare, quando seminum verminosum animari, evolvi, &
mul-

SECTION. ET PARAGRAPH.

multiplicari incipit; & reliqua, quæ legi possunt 72. 73. &c.

XVIII. *Hæc diversis rationibus, observationibus, & experimentis confirmantur.* 75. 76. &c.

XIX. *Tandem illis, quæ contra hanc sententiam objici possent, respondetur.* 89. 90.

XX. *Præsupposita essentia, & natura putredinis, potest facilius cognosci, & deduci natura, & essentia contagii, quæ hic multis rationibus, & experimentis demonstratur esse talis, ut dictum fuit.* §. 46. & 47.

XXI. *Ex hac de putredine, & contagio sententia faciliter, & expeditius solvuntur phænomena & difficultates, quam per quamcumque aliam.* 111. 112. &c.

XXII. *Adducuntur multa, & difficiliora phænomena, quibus ex nostris de contagio principiis satisieri facile potest.* 120. 121. &c.

XXIII.

I N D E X

XXIII. Hic discutitur quæstio, an putredo, & contagium sua seminia ab externo semper adipiscantur, an vero ipsis corporibus aliquando infint. 138.

XXIV. Talia seminia ostenduntur diversis rationibus, & observationibus etiam corporibus inesse 140. 141. &c.

XXV. Hic afferuntur commoda, quæ ex nostra de contagio sententia Reipublicæ accedere possunt.

XXVI. Primum commodum est, quod ex hac sententia pro morbis contagiosis tam hominum, quam brutorum facilius antidota ad inveniri possint. 150. 151. &c.

XXVII. Afferuntur quedam antidota, quæ in lue bovina, & ovina tam præservative, quam curative per diversa capta experimenta idonea inventa sunt. 168. &c.

XXVIII. Alia commoda, quæ exinde resultant, possunt legi. §. 169. 170.

SEC-

SECTION. ET PARAGRAPH.

SECTIO TERTIA.

XXIX. *Agit de rubagine, vegetabilium morbo, de ejus causis, & effectibus* 171.

XXX. *Rubiginis sicut putredinis & contagii natura necdum est legitime exposita, & explanata.*

XXXI. *Unde neque sententia Clariss. Lævvenb. neque aliorum rubiginis naturam bene exponit.* 174. 175.

Rubigo aut a rore vitiato, & verminoso, aut a ventis australibus, certa semi-nia verminosa adferentibus, aut a pluviis verminosis deducitur. 177. 178.

XXXII. *Hoc assertum tum rationibus, cum experimentis firmatur.* 180. 181.

XXXIII. *Cum ex tritico rubiginoso sa-to triticum pariter rubiginosum produci soleat, adducuntur certæ methodi, quibus hoc præcaveri possit.* 183.

XXXIV.

I N D E X

XXXIV. Describitur rubigo anni 1757.
quæ omnia sere vegetabilium genera infec-
cerat. 189.

XXXV. Ostenduntur morbi contagiosi
præcipue vero petechiæ, quæ annis 1757.
& 1758. in Austria aliisque provinciis sa-
viebant, a talibus esculentis rubiginosis ma-
ximam partem dependisse. 191. 192.

XXXVI. Tandem pro coronide diversa
vara, & utilia corollaria exinde dedu-
cuntur.



SEC-



S E C T I O I.

D E

CONTAGIO IN GENERE.

I.

 uamvis evidenter demonstrari non possit, ante, & mox post universale diluvium, morbos contagiosos viguisse, probabile tamen est, iisdem, sicut aliis calamitatibus, eo tempore afflictum fuisse genus humanum: interim ex sacris literis constat, anno post diluvium 827. sub Moyse, & Pharaone morbum contagiosum pestilentialem, qui & homines, & bruta

A tene.

tenebat, extitisse; item eundem grassatum
fuisse anno 1203. sub Samuele Propheta;
uti & anno 1282. sub Daniele.

II.

Si profanos autores consulamus, no-
bis constabit ex Platone, & Eusebio,
tempore Cicropis primi Atheniensium Re-
gis, anno post Deucalionis diluvium 787.
funestam pestem exhausisse Aegypti, &
Aethiopiæ urbes. Item anno 1022. Ita-
liam, 1150. Græciam, Thraciam, Cre-
tam, & anno 1254. post Trojæ exci-
dium iterato Græciam, & vicinas Asiæ
regiones a contagio pestis infestatas fuisse;
quæ omnia ut & reliqua contagii mala,
quæ subsequis sæculis diversas occupabant
orbis partes, videri & legi possunt in He-
rodoto, Hesiodo, Livio, aliisque pro-
batis autoribus.

III.

Ex his, & similibus casibus B. L.
cognosces, quod ex veterum monumentis
noti-

notitiam & historiam contagiosorum morborum haurire omnino possimus; ast ubique altum de essentia, & natura contagii silentium reperies. Divus Hippocr. ipse in suis epidemiis explanat pestem Atheniensem Olympiade 79. grassantem, & a Thucidide suo contemporaneo nitidissime alias descriptam, absque eo tamen, ut inquirat in naturam talis contagii.

IV.

Forsitan id factum est, ut plures etiam modernorum celeberrimi viri autem, quod tales morbi contagiosi aliquid Divini præ se ferre videantur; sic enim nefas esse credunt, si humanum ingenium in hæc Divina inquirere satagat, unde fit, ut credant, satius esse in rebus occultis, & obscuris propriam fateri ignorantiam, quam talia in medium adferre, quæ multis forte risum, & stomachum movere possent.

V.

Verum si talia præjudicia omni ævo
viguissent, quod quæso, arcana naturæ
jam patefacta in alto sepulta adhucdum
jacerent? quin imo ipse Divus Hipp. de
morbis alias Divinis dictis aliter sentit;
nam de morbo sacro, & alibi docet, quod
nullus morbus altero Divinior, aut huma-
nior existat, sed Divini omnes, cum horum
quisque suam naturam habeat, nec quidquam
citra naturam fiat; homines vero naturam,
& causam morbi Divinam esse putarunt præ-
inexperientia & admiratione.

VI.

Quare spretis omnibus conviciis de
trivio dabimus primo generalem, & su-
perficialem fere contagii ideam. Dein
explanabimus, quid illud sit, & in quo
consistat, quod contagium nominamus;
ad hoc ut quasi per gradus natura conta-
gii facilius pateat.

VII.

VII.

Quod prædictam superficialem , & fere extrinsecam contagii notionem concernit , hanc apud Cicer. L. 2. de Divin. sed minus apte expressam habemus , ubi dicit quod contagium sit illa vis , quæ a syderibus defluit , & in sublunaria influit ; etenim quondam multi morbi ab influxu syderum in nostra corpora derivabantur ; hodie vero meliore imbuti ratiocinio sublunares morborum , uti & contagii causas vix non omnes admittimus ; & quid sit contagium in generē consideratum , alio concipimus modo .

VIII.

Contagium itaque est illa vis , qua affectus aliquis occupans unum corpus communicatur alteri corpori . Quapropter omnes illos morbos contagiosos nominare libet , qui ab uno subiecto transeunt ad aliud . Hoc vero duplici potissimum solent contingere modo , vel enim id fit im-

mediate per contactum, ut in scabie, lue venerea; vel mediate, seu ut solet dici, in distans, mediante aere, ut in peste, purpura, variolis. Aliud est etiam contagium per fomitem; dum materia contagiosa diu iners, antequam in actum deducatur alicui corpori inhæret. Ut hoc contingere solet in hydrophobia, lue venerea, podagra, & similibus affectibus, qui aliquando in feris primo nepotibus in actum deducuntur, qui prout mediate vel immediate communicantur, ad duos priores modos reduci possunt.

IX.

Hæc dicta sunt de contagio, quod ab extrinseco advenit, & alteri corpori communicatur; verum quid dicendum erit de illo contagio, quod corporibus jam inhæret, & suapte natura dato tempore, quin imo aliquando ex forti imaginatione in actum deducitur? scio quidem, vix non omnes celebres viros in
hac

hac esse opinione, contagium ab extrinseco tantum advenire, & alteri communicari; sed dein ostendemus hoc præjudicium erroneum esse.

X.

Interim ad clariorem contagii ideam scire oportet, non tantum quid sit morbus contagiosus, sed etiam quid sit epidemicus seu popularis, & quæ sit inter ipsos differentia; cum, quamvis non semper plerumque tamen, morbos, qui epidemicci vocantur, observemus esse contagiosos, & vicissim.

XI.

Hippocrat. Lib. de natura humana morbos epidemicos sic describit: *Quando ab uno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore, causam ad id, quod communissimum est, & quo maxime omnes utimur, referre oportet, est autem hoc spiritus, & aer, quem inspirando trahimus.*

XII.

Itaque morbi populares a communi quidem causa, ut aëre dependent, sed non semper eodem modo disposito, alias tales morbi continuarent sine intermissione; debet igitur aëri tunc aliquid accedere, quod cæteroquin ipsi non inest; quod Hippocrat. eodem Lib. de natura humana sic exponit: *palamque est, aërem tunc morbosam aliquam exhalationem habere.* Istæ exhalationes dum aëri miscentur, morbos populares, qui sæpe pariter contagiosi sunt, causantur. Quid vero istæ exhalationes sint, & unde originem trahant, patebit, dum de causis contagii verba faciemus.

XIII.

Interea hic saltem superficialiter novisse sufficiat, quid sit morbus contagiosus, quid epidemicus, & quæ sit inter ipsos differentia; experientia enim nos docet, eundem morbum posse esse epidemi-
cum

cum & contagiosum ; tales sunt febres malignæ, pestilentiales, petechiales, variolosæ, morbillosæ, urticatæ, scarlatinæ, dysenteria præcipue castrensis ; huc etiam referri potest pertussis, seu tussis convulsiva infantum, quia hæc certo tempore grassatur, & unus eadem affectus infans plures alios secum commorantes eadem afficere valet.

XIV.

Item experientia constat eundem morbum posse esse epidemicum, quin tam tam facile contagiosus dici possit. Tales sunt diversæ febres rheumaticæ, intermitentes. Huc referri possunt aliquando mortes subitaneæ, de quibus Lancisius eruditissime tractavit. Observavit quoque Boilius ipse, quod ex peculiari flante apud septentrionales vento homines derepente moriantur.

XV.

Tandem etiam experientia patet, dari morbos contagiosos, qui non sunt epi-

demici ; tales sunt scabies, lepra, elephantiasis, podagra, lues venerea, hydrophobia, carcinoma apertum, phtisis; item Clariss. Frid. Hoffm. Lib. de externis affectionibus, dicit quædam ulceræ externæ esse contagiosa. Quin imo morbi exanthematici possunt sine epidemia esse contagiosi ; sic variolæ possunt inoculari absente epidemia.

XVI.

Dantur alii morbi, de quibus dubium esse potest, ad quam ex dictis speciem referri debeant; sic anno 1757. passim hic Viennæ corripiebantur homines tumoribus quibusdam, veras parotides, sed sine notabili febre præ se feren-tibus. Similes erant nobilium adolescentum fere 60. in Academia Sabaudica, qui eodem afficiebantur tumore sed plerumque cum sat levi febricula. Copio-fis diluentibus, antiphlogisticis, diaphoreticis, & fomentis externis, siccis, tepidis;

intra

intra octiduum, aliquando intra duas septimanas dissipabantur omnes, absque omnni suppuratione.

XVII.

Cum itaque ex dictis constet, morbos epidemicos non semper cum contagio conjungi, debemus necessario admittere, aliam esse causam epidemiæ, & aliam contagii. Unde fit, ut nunquam satis Venerandus Sydenhamius miretur, ab iisdem saltem ad sensum nostrum tempestatibus diversos exoriri morbos, diversam medendi methodum requirentes, quod potissimum de epidemicis contagiosis intelligendum est.

XVIII.

Si morbi sint pure epidemici, poterunt ad causas manifestas, seu ad qualitates, humidi & siccii, calidi & frigidi; adeoque ad diversam eorundem miscellam, prædominium, durationem, aut repentinam mutationem, reduci. Si vero sint

con-

contagiosi, alia est, & longe major difficultas determinandi, in quo proprie consistat illorum contagium, ipsiusque contagii vera natura; in qua indaganda, & explananda celeberrimi præcipue in arte viri plurimum adlaborarunt, diversasque de contagio opiniones in medium adduxerunt, quas nos hic loci seorsim explanabimus, & trutinabimus; ad hoc ut appareat, quæ ex his magis respondeat Phœnomenis, quæ in morbis contagiosis observantur.

XIX.

Quilibet intelliget, summi in arte mendendi esse momenti, veram, si possibile est, contagii naturam cognoscere; secus enim illi medentes in tenebris versamur, & remedium potius forte, quam ratione arripimus. Ipse Celsus effatur: *ad rem pertinet omnium proprietates noſſe.*

XX.

Quare sententiam de contagio, quæ sequentibus quæſtionibus magis apposite ſatisfaciet, amplectemur.

XXI.

Quæstio prima: quare a variolis variolæ; a morbillis morbilli; a scarlatina pariter scarlatina; item a peste pestis; a lue venerea lues venerea; idem dicendum est de hydrophobia, scabie, aliisque morbis contagiosis, ordinaria naturæ lege oriantur? Unde signum evidenterissimum est, ut dein clarius patebit, hos & similes morbos specie inter se differere. Hinc apparent, quam erronea sit aliquorum opinio afferentium, hos morbos uti & illorum causam materialem differre inter se secundum magis & minus tantum; nimirum in quantum in uno causa materialis volatilior, in altero vero fixior supponitur. Sed quis quæsto ab omni præjudicio alienus crediderit, scabiem & variolas, luem venereum, & petechias habere eandem causam materialem secundum magis & minus differentem? quis unquam, vidit petechias in luem venereum-

nereum, aut scabiem in variolas degenerasse? quin imo plus una vice observavi, quod scabiosi si variolis afficiuntur, tempore & stadio variolarum scabies evanescat; verum exsiccatis variolis, postliminio re-crudecat, & pertinacissime affligat, quod certe fieri non posset, si eandem haberent causam materialem; igitur dicendum est, quod, sicut plantas, & eorum semina specie differre palam fatemur, quia ordinaria naturæ lege a certo semine certam tantum plantam exoriri observamus, idem pariter dicendum sit de morbis contagiosis; nimirum ipsos, eorumque causas specie inter se differre.

XXII.

Quæstio secunda: quare contagium certam tantum animalium speciem afficere soleat? sic experientia constat, aliam esse luem humanam, aliam bovinam, aliam ovinam, & aliam equinam; qualis in Anglia nunc 1760. inter equos
graf.

grassatur. Qualis etiam hic in Austria, præcipue vero Viennæ inter genus equinum per modum cujusdam Catarrhi suffocativi, & inflammationis pulmonum anno 1755. grassabatur; item datur epidemia contagiosa pennatorum, & piscium; qualis descripta habetur in act. Nat. Cur. anno 5. obs. 170. item ait Furman: *alt und neues Wien* p. 515. similem pestem pennatorum observatam fuisse prima vice hic Viennæ anno 1286. qua gallinæ & aves derepente extinguebantur. Nostro autem tempore nimirum anno 1752. luem inter gallinas hic Viennæ observavimus, qua fere innumerabiles, extinguebantur.

XXIII.

Neque enim observamus, quod contagium ab una specie v. g. a bovina ad aliam, ut humanam, aut caninam, transeat; experientia enim docet, & homines & canes inter armenta lue affecta innoxie

ver-

versari posse; interim hoc proh dolor! quotidiana constat experientia tam ab hominibus, quam a canibus cum bobus lue affectis commorantibus facile ad boves sanos idem contagium transportari, & iisdem communicari posse. Unde fit, ut ab illis, qui sanitati publicæ invigilare debent, hoc in casu certæ capiantur cautelæ.

XXIV.

Non ignoro, adduci posse exempla contagii, quod a brutis ad homines, & vicissim, translatum fuisse creditur; talia legi possunt in Ephemerid. dec. 2. an. 7. obs. 192. item cent. VIII. obs. 44. verum dein patebit, hoc non fuisse idem, sed specie diversum contagium.

XXV.

Quæstio tertia: quare & quomodo fiat, ut materia contagiosa valde diu iners, & infons latere, & tandem longo post tempore, & data occasione in actum deduci possit? uti hoc proh dolor! in p-
ste

ste saepe observatum fuit: sic Salmuth obs. 64. cap. 1. constat, pestem per annum in homine latuisse. Item hydrophobia morsum canis saepe diu post subsecuta fuit. Vid. act. Nat. cur. vol. 1. obs. 7. p. 38. Item Dec. 1. ann. 10. obs. 43. Lues venerea pariter diu latere potest in corpore, antequam in actum dederatur. Ut inter alios Rejes quæst. 58. p. 774. item experientia constat, morbos hereditarios in seris primo nepotibus efflorescere, & propululare. Prætereo hic multas alias observationes, contagii pestilentialis in vestibus, aliisque hirsutis corporibus diu latentis; pesti enim volupe est in lana diu cubare.

XXVI.

Quæstio quarta, & inter reliquas princeps: quare materia contagiosa sit tam facile communicabilis, & tam mirum in modum multiplicabilis? sic funesto saepe eventu observatae fuerunt ab uno pe-

ste affecto homine plures provinciæ, & frequentissimæ civitates eodem infici, & exhauriri contagio. Item innumera extant exempla, ab una lue affecta pecude numerosissimum sæpe peculium deletum esse. Romazzinii, & Lancisius judicant, anno 1710. mala forte ab uno lue affecto Hungarico bove in Italiam delato, eandem luem per universam fere Italiam propagatam fuisse. Item portio materiæ variolosæ vix sensibilis per insitio-
nem & inoculationem multiplicari potest vix non sine fine; ex quibus constat, quam multiplicabile sit contagium.

XXVII.

Quanta vero facilitate materia contagiosa fit communicabilis, superius iam diximus, eandem facillime a canibus, ab hominibus, a grege lue affecto ad sanum deferri posse. Mirabilem casum legimus in act. Nat. cur. Dec. 3. ann. 7. obs. 193. ubi febris maligna conta-
gio-

giosa ab olfactis floribus, quibus cadaver tali morbo affectum, & defunctum, ornatum erat, contrahebatur. Item a morsu muscæ, quæ cadaveri peste infecto insederat, pestem communicatam fuisse, asserit Garman. L. 2. Tom. 2. §. 58. unde patet necessitas cadavera lue affectorum mature, & profunde tumulandi; fecus enim exhalationes contagiosæ facilime per aëra, & ventos non tantum ad vicina, sed & ad remota loca transferri & communicari poterunt.

XXVIII.

Istæ sunt principes, quæ de contagio moveri solent difficultates, & quæstiones; quare ab aliis recensendis, quæ per decursum operis patebunt, supersedemus; nam sententia, quæ propositis quæstionibus fatisfaciet, non laborabit in aliis. Proponemus igitur, & trutinabimus principes autorum de contagio sententias, & tandem illam saltem, ut veri-

similiorem, quæ propositis quæstionibus magis satisfecerit, amplectemur. Nihil hic dicemus de archæis Helmontii; de Realgore Paracelsi; neque de influxu astrorum ab aliquibus pro causa contagii assumpto. Hæc enim in moderno foro medico pro commentis habentur.

XXIX.

Prima opinio, quam multi celebres viri amplectuntur, contagii naturam explanare conatur per quasdam fermentationes miasmatis maligni cum nostris humoribus, unde fit, dicunt, ut eosdem in sui naturam mutet, atque assimilet eodem fere modo, uti parva fermenti pistorii portio integrum panificii massam in motum fermentativum concitat, fibique similem reddit.

XXX.

Verum ista sententia multis premitur, quibus satisfieri nequit, difficultibus, ut primo, quod motus fermentationis

tionis ab his autoribus nimis generaliter, & pro quolibet motu intestino, sive is sit fermentationis, putrefactionis, aut effervescentiae, assumatur, & venditetur; cum tamen hi motus distingui debeant, eo quod diversus ex his resultet effectus. Vide celeberr. Boerhavii chemiam: sic effectus fermentationis est in spiritum ardentem, aut acidum mutatio; si vero effectum contagii, aut exitum morborum contagiosorum intime consideremus, videbimus illos potius juxta mentem horum autorum in alcali degenerare, adeoque ex hoc jam uno fundamento videtur ista corruere opinio.

XXXI.

Secundo; si vero motum fermentationis cum motu putrefactionis confundere velis, incidet in scyilam volens vitare charybdim; quia debes primo ostendere, in quo consistat iste motus putrefactionis, & in quo a motu fermentationis

B 3

dif-



differat; cum unus & alter confistat in certo particularum motu intestino, videntur itaque potius convenire, quam differre; unde ab uno sicut ab altero deberet idem exurgere effectus, adeoque idem semper redit argumentum.

XXXII.

Tertio: quotidie vix non multa putrida in usum vocantur absque eo, quod talis motus putrefactionis exurgat; & absque eo, ut humores nostri illis putridis assimilentur.

XXXIII.

Quarto: superius ostendimus morbos contagiosos specie inter se differre; adeoque tot deberent admitti fermenta, quot sunt species morborum contagiosorum, quod iterum omni ratione & fundamento destituitur, quis enim istam fermentorum differentiam determinare posset? adeoque vel deberet admitti, quod diversa specie fermenta cum una humorum no-

stro-

strorum massa fermentare possint; vel quod ab una specie fermentorum diversi specie contagiosi morbi produci possint; verum utrumque est tam erroneum, quam inconcepibile, sicut dicta sententia de fermentis per se corruit.

XXXIV.

Alia est sententia, quæ acidum, & alcali, aut unum ex his pro natura contagii assumit. Ast sententia hæc adhuc majoribus quam prior, involvitur difficultatibus. Etenim superius jam ostendimus, diversas dari species contagii, juxta hanc sententiam vero, five dicas in utroque, five in alterutro ex illis confistere naturam contagii, nunquam diversas contagii species salvare poteris, sic enim omnes morbi contagiosi ad unam aut alteram speciem reduci deberent.

XXXV.

Præterea si dicas, causam materialem contagii esse aliquod acidum, con-

cipi vix potest, quomodo tam facile communicari & multiplicari possit; cum acidia non sint tam volatilia neque tam expansibilia; quin imo experientia contrarium demonstrat, ab omnibus acidis contagium potius cicurari, ejusque communicabilitatem, & multiplicationem potius impediri & imminui; nam in regionibus septentrionalibus pestem rarius grassari, & minus multiplicari experientia constat; cuius alia ratio esse non potest, nisi quod ibidem acidum aereum Catholicum prædominetur, quod docet confessio nitri moscovitici; de quo vide elegantissimum tractatum celeberr. Frid. Hoffm. de nitro.

XXXVI.

Tandem ex perientia patet in morbis contagiosis humores nostros ad putredinem disponi, ut fautores hujus sententiæ dicunt, adeoque sal aliquod alcalinum volatile potius pro natura contagii, quam acidum statui debet; & haec est fere o-

mni-

mniū celeberrimorum medicorum hoc tempore de natura contagii decantata, & recepta sententia; quam aliis etiam solent exprimere verbis: miasma malignum, & venenosum, & arsenicale appellantes, quod dum nostris miscetur humoribus, eosdem sive motu humorum circulatorio, sive fermentationis, aut effervescentiae quodam motu, corrumpit, & sibi assimilat. Verumtamen pace tantorum virorum taliter sentientium omni possibili modestia, eorumque debita veneratione ostendemus, quam parum hæc sententia satisfaciat explanationi contagii; multo minus superius propositis quæstionibus respondeat.

XXXVII.

Primo mirari satis non valeo, quare viri cætera Eruditissimi miasmata contagii venenosa, & arsenicalia vocare consuerint; cum ista appellatio rationem contagii potius destruat quam exprimat; nam sive venena ex regno animali, vege-

tabili, aut minerali in probationem hujus sententiae assumant, semper falluntur; quia nec morsus viperæ, nec napellus, nec arsenicum, aut quocunque aliud venenum ad contagium referri potest; experientia enim constat, carnes animalium ex morsu viperæ, aut quocunque alio assumpto veneno necatorum, nulla ratione esse venenosas, multo minus contagiosas, tales enim absque noxa ab omnibus edi posse jam notum est. Item cuilibet notum est, pisces coccus de lepanto captos ab omnibus sine metu, aut damno in usum vocari. Vide Fricium de paradoxis medicis item Redi observationes.

XXXVIII.

Ex his observationibus datur, quod neque a morsu viperæ, neque ab assumptis quibuscumque venenis humores nostri corporis eorum naturam induant, aut iisdem assimilentur; alias enim tales carnes innoxie in cibum assimi non possent.

Præ-

Præterea constat, in fodinis exhalationes esse morbosas quidem, sed non contagiosas. Ex quibus simul sumptis deducitur, contagium quidem ad venena non vero venena ad contagium reduci posse.

XXXIX.

Si vero de morsu canis rabidi difficultatem aliquam in contrarium movere conaris, nihil probas; quia hydrophobiam aut quemcunque alium similem affectum pro aliqua specie febris malignæ contagiosæ agnoscimus; unde etiam merito ad morbos contagiosos reduci potest, & debet; experientia enim constat, hunc morbum in canibus tempestate calidissima, quin imo aliquando ex causa interna generari; qui etiam in homine aliquando a causa interna, uti aliæ febres malignæ, oriri potest. Tales observationes legi possunt in act. nat. Cur. cent. 3. p. 112. Item Dec. anno

6. obs. 38. Aliud autem est de morsu viperæ , scorpionis , vespæ , & aliorum ; quia non memini talem morbum alteri communicatum fuisse.

XL.

Secundo Clariss. Sydenham , aliique practici observant, in morbis epidemicis contagiosis quandoque contraria remedia requiri , eo , quod illa , quæ in una epidemia profunt , sæpe in alia obsint ; verum si omnes morbi contagiosi a prædicto sale alcalino volatili acri dependerent , tunc sufficerent eadem semper remedia , quia eadem semper esset causa.

XLI.

Tertio observationibus uti jam disimus constat , miasma contagiosum corporibus diu in- & adhærere posse ; adeoque signum est illud non esse volatile ; alias tamdiu in uno loco coerceri non posset.

XLII.

XLII.

Tandem ultimo quæstionibus superius propositis per hanc sententiam minus quam per quamcunque aliam satisfieri poterit. Nos probavimus aliud esse miasma pestilentiale, aliud variolosum, & aliud venereum; item aliam luem bovinam, aliam caninam, & sic de reliquis; adeoque hæc contagia specie differre diximus, sed quomodo ab aliquo simili miasmate, quod in sale alcalino volatili consistit, diversæ species contagii dependere possint, concipere non valemus; etenim in hoc miasmate aliam mutationem, aut differentiam nobis imaginari non possumus, quam quod unum magis volatile, aut acre sit, quam alterum; notum autem cuique est, magis & minus non mutare speciem; adeoque a tali miasmate tam diversæ morborum species oriri non possunt.

XLIII.

XLIII.

Ast dices: experientia constat, primo, in morbis contagiosis humores nostri corporis ad putredinem, & alcalinam naturam tendere; ergo signum est, miasma illud contagiosum pariter alcalinæ esse naturæ. Secundo experientia pariter nos docet, tempore pluvioso, & humido, item in locis, ubi humidum prædominatur, grassari morbos epidemicos sæpe contagiosos; hoc vero ideo fieri videtur, quia humidum prædominans disponit ad putredinem, putredo vero maximam partem confistere videtur in natura alcalina, adeoque ex omnibus his concludi poterit, miasmata contagii esse potius alcalinæ quam alterius naturæ.

XLIV.

Ad primum respondemus, ne cum demonstratum esse, ut dein patebit, dum de putredine sermo erit, in morbis contagio-

tagiosis humores nostri corporis esse naturæ alcalinæ. Interim quamvis concederemus, nihil tamen exinde evincitur; quia iste esset potius effectus contagii, quam ipsum contagium; adeoque essentia contagii debet esse aliquid aliud; seclus enim admittere deberemus, quod quodlibet corpus putridum vel sit contagiosum, vel quod una putredo specie ab alia differat, sicut unum contagium ab alio specie differre diximus.

XLV.

Ad secundum vero respondemus, tempestates pluviosas, & humidas maximam partem disponere ad morbos epidemicos, ut rheumaticos, sed raro ad contagiosos. Nam ad hoc ut alicubi exuberans humiditas morbos contagiosos causetur, necesse est, ut vel miasmata maligna secum ferat, aut ibidem inertia latentia offendat, sicque foveat & in actum deducat; si hoc non fiat, graffabuntur

mor-

morbi epidemici, sed non contagiosi. Experientia autem quandoque oppositum docet, constat enim, quod exundatio Nili morbos contagiosos, ut pestem abigit; quia tunc sole signum cancri subeunte, & septentrionali plaga fumigante Etesiae flare incipiunt, qui campis nos ventos, miasmatum pestiferorum vescores expellunt & abigunt. Illa vero, quæ hic de putredine afferuntur, patebunt clarius dum de putredine differemus.

XLVI.

Cum itaque omnes superius allatae sententiæ phœnomenis, & superius propositis de contagio quæstionibus minus apte respondeant, cogitandum est de alia, quæ hæc omnia facilius, & ad ductum naturæ conformius expediat; talis causa materialis contagii verisimilius est miasma verminosum; seu principium aliquod seminale verminosum specie diversum; a principio mundi a Deo produ-

ductum, unde morbi contagiosi originem
habent, & propter quod ipsi, uti plantæ,
inter se specie differunt.

Miasmata contagiosa a principio
creationis jam fuisse producta est Mura-
tori nel tratato della peste, Plateri,
Hartscæckeri, Sydenhamii aliorumque
sententia; sed qua ratione etiamnum vi-
geant, propagentur, & multiplicentur,
diversa semper fuit sentiendi ratio; fateor,
nostram, quam adduximus sententiam ab
aliquibus celeberrimis viris jam indica-
tam, quadantenus tritam fuisse, sed lon-
ge diversa methodo, & debili valde ar-
gumentorum, & experimentorum appa-
ratu; unde factum est, ut hucusque ne-
glecta, aut superficialiter tantum pensi-
tata fuerit.

Superius jam diximus, quod dum
tempesta humida, & pluviosa diu perse-
verat, sed præcipue dum austri, aut
Evro-noti flare non desinunt, quod ni-

C mi-

mirum tunc diversa feminia adferantur, & alia hinc inde latentia foveantur, & evolvantur, unde dein fit, ut plurima feminia, quæ alias hinc inde sterilia latent, sobolescere incipient, adeoque innumerabilia animalcula exinde generentur. Hæc animalcula quam plurima deponunt feminia, ex quibus pariter, si debitus fatus adsit, alia evolvuntur animalcula. Talia feminia seu ovula sunt maximam partem tam exilia, & tam levia, ut in aëre hinc inde volitare, & nunc ad unam, nunc ad aliam plagam deferri valeant, quæ dum humidum, aliquumque sibi congruum nidum offendunt, in eodem foventur & evolvuntur; quare nemo mirari debet, si in locis humidis, paludosis tam frequentes muscæ, scarabæi, squilæ, scrophulæ, hirudines, sed præcipue illud chrysalidum genus, culices appellatum, aliaque quam plurima nudis oculis invisibilia animalcula reperiantur, & exuberent.

XLVII.

Ex quo etiam patet ratio, quare morbi contagiosi, siue endemice, siue epidemice in similibus locis maximam partem graffentur. Item ex his patet vera causa contagii antecedens, concomitans, materialis & formalis. Item ex his deducere possumus talia seminaria contagii ad diversas plagas ab austris transferri posse, ibique morbos contagiosos causare. Talem constitutionem epidemiam & pestilentiam describit Hipp. lib. III. sect. III.

XLVIII.

Verum ut hæc, quæ hucusque dicta sunt, facilius intelligantur, & ne asserta sine demonstratione esse videantur, necesse erit tum ratione cum experimentis thesim nostram ultro corroborare, & quædam hic præmittere, ex quibus tanquam legitima consequentia nostra sententia ducatur.

XLIX.

Animalcula, quorum jam meminimus, quanto magis decrescunt mole, tanto magis crescunt numero, prout enim illorum molest vix perceptibilis, ita eorum multiplicatio est incredibilis; hæc quæ dixi, passim videri possunt in operibus Clar. Lœwenh. sed præcipue in Lib. arcan. naturæ, epist. 96. p. 41. & alibi, aliosque Clar. Autores; ubi unicæ guttulæ aquæ dicuntur ad minimum 2750000, animalculorum inesse; sed quæso quid dicendum erit de horum animalculorum ovulis, & de horum ovlorum futuris fœtibus? & sic deinceps, quid tandem de ipsorum organis? idem enim Celeberrimus Autor statuit, millies millium talium animalculorum myriades non æquare unum arenæ granum. Hæc sunt quidem nostro debili ingenio inconceptibilia, verum admissa materiæ divisibilitate in infinitum, infinitæ potentiaæ congrua, & possibilia judicare debemus. Un-

de

de merito fatemur infinitam Dei potentiam magis elucescere in minimis, quam in maximis. Ipse Lœwenh. in epist. 73. fatetur, plus sapientiæ requiri ad formationem exiguae muscæ, quam ad magnum producendum equum. Item Plinius Lib. 11. de insectis: *turrigeros elephantorū miramur bumeros, taurorumque colla, & truces in sublime jactus, tigrum rapinas, leonum jubas, cum rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota est.*

L.

Ut vero hæc clarius pateant immorabimur parumper considerantes ortum omnium animalium, & plantarum: multi Physicorum non erubescunt asserere, quædam animalcula, & quasdam plantas originem habere non ex semibus sed ex putri, seu ex motu illo intestino, & confuso, qui in putredine observatur.

LI.

Verumtamen præter rationes, quæ communiter huic sententiæ opponi solent; invenio unam a paucis notatam, sed irresolubilem. Videlicet; omnibus notum est, tam plantas quam animalia, eorumque seminia constare certis partibus, & organis affabre & ordinate ad suos fines dispositis, ut non tantum inconceptibile sed etiam impossibile appareat, talia organa ab aliquo confuso motu, & fortuito particularum concursu emergere & coalescere posse; secus eodem & quidem majore cum fundamento dicere potero etiam majora corpora ex tali fortuito motu & particularum concursu coalescere, adeoque potero afferere, solem, lunam, terram, planetas, stellas, aliaque majora corpora ex tali fortuito particularum motu, & concursu coagmentata fuisse; quod assertum non tantum illam damnatam Epicuri, & Democriti sententiam,

sed

fed verum atheismum sapit ; etenim si
admittas minimas mirabiles machinas
(in quibus paulo superius diximus ma-
jus esse artificium) a tali fortuito ato-
morum , & particularum concursu exur-
gere posse , multo facilius poteris admit-
tere idem esse posse in majoribus ma-
chinis.

LII.

Præsupposito igitur hoc infalibili fun-
damento , omnia animalia & vegetabilia
originem ducere ex suis propriis semini-
bus , debent pariter admitti , omnia or-
gana in seminibus jam ruditer delineata
esse. Item debent admitti nulla semina
produci de novo. Utrumque hoc af-
fertum debet tanquam certum deduci ex
antea dictis , quia sicut ideo nullum a-
nimal , aut planta ex fortuito particu-
larum concursu coalescere potest , quia
certis , & ad proprios usus destinatis con-
stat organis , ex eadem pariter ratione

nullum semen in rerum natura ab aliquo partium poterit produci motu, quia iisdem mirabilibus constat organis, ruditer delineatis, neque enim alia assignari potest differentia, nisi quod tales partes, & organa in uno magis, in altero minus explicata adsint.

LIII.

Si itaque nullum in rerum natura semen producitur de novo, debet necessario admitti, omnia hæc a principio mundi creata fuisse, nunc vero unum ex altero evolvi; adeoque sequitur, quod omnia semina, quæ a principio mundi ad hæc usque tempora jam erant, & quæ in posterum in rerum natura erunt, in primigeniis illis seminibus jam physice contenta fuerint, & quod ex illis reliqua tantum evolvi debeant. Pariter sequitur, quod omnes homines, qui a creatione mundi ad hæc usque tempora erant, & qui in posterum erunt,

runt, in ovario Evæ jam ruditer delineati extiterint.

LIV.

Quæ omnia cum evidenter ex data sententia deducantur, nisi ut superius diximus, in atheismum incidere velimus, mirum tamen est, quod semina jam toties & toties evoluta, notabilem aliquam jaætiram in sua diametro, & volumine passa fuisse non observentur; quod non nisi ex principiis de infinita materiæ divisibilitate deduci potest.

LV.

Ast dices: ad quid sunt hæ argumentæ, & laboriosæ cogitationes? R. Falleris si credis, nos extra propositum nostrum hac ratione evagari; hæc enim sunt maximum nostræ de contagio sententiæ fundamentum; quia sic nulli ab omni præjudicio alieno paradoxum videbitur superius allatum assertum; quo Lœwenh. aliique celebres viri ostendunt

in una gutta aquæ , cerevisiæ , vini &c.
2750000. animalculorum contineri ; sic
enim quemadmodum multiplicatio vege-
tabilium per aliam semper & aliam evo-
lutionem seminum fieri debet , ita pari-
ter innumerabilis animalculorum multitu-
do, quæ in liquidis observatur , ab ea-
dem evolutione dependeat , necesse erit.

LVI.

Hoc autem adhuc clarius patebit,
si vegetabilium propagationem paulo in-
timius perscrutemur : etenim experien-
tia constat ex unico semine Zeæ 2000.
alia una evolutione evolvi ; item ex u-
no semine Innulæ 3000. alia ; ex uno
semine Helianthi 4000. ex unico semi-
ne papaveris 32000 ; & tandem ex u-
nico semine nicotianæ 40320. alia semi-
na provenire & evolvi . Vide Linnæi
fundamenta Botanic. si hæc semina ex
unico semine jam educta iterum , & ali-
quoties terræ ad germinandum commit-
tan-

tantur , exurget profecto exinde numerus indefinitus seminum , quæ omnia in unico illo supra dicto semine continebantur ; qui numerus major erit numero animalculorum in unica gutta v. g. aquæ contentorum.

LVII.

Cum itaquæ prædicta innumerabilia animalcula in liquidis deprehensa ex propriis seminiis originem habere debeant , cogimur necessario admittere talia semina , vel ab externo advehi & liquidis communicari ; vel liquidis jam inesse & in illis , quasi sterilia hærere donec certæ causæ adsint , quæ illorum evolutioni inserviant . Hic loci nolumus adhuc disquirere , aut determinare , an talia semina liquidis ipsis insint , an vero iis ab externo seu aëre adveniant , & communacentur ; quia de his differendi alibi erit locus ; hic vero principem causam attingere & examinare debemus , quæ huic

ani-

animalculorum in corporibus multiplicationi, & evolutioni famulatur, vel ut clarus loquar, cum qua conjungitur; talis vero causa communiter ab autoribus assignatur esse putredo, sed quid vere sit putredo a nemine determinatur, aut saltem valde insulse explanatur, & plerumque effectus pro causa assumi solet. Interim hic insinuandum est, quod natura contagii intime cognosci non possit, nisi prius noverimus quid sit putredo; quare fit.

SECTIO SECUNDA.

De putredine, de ejus natura, causis, & effectibus.

LVIII.

INvenio veteres magis sollicitos fuisse circa putredinem, quam recentiores; qui

qui solo putredinis nomine contenti ultro-
nee non afficiuntur. Unde mirum non
est, si in morbis malignis toties ab an-
tiquis fiat mentio putredinis; si Lucre-
tius Lib. VI. de peste Atheniensi:

- - *Ubi putrorem bumida nocta est
Intempestivis pluviisque, & solibus icta.*

Verum in quo consistat putredo cor-
porum difficile est determinatu; sic Ari-
stotel. 4. meteor. lib. I. putredinem di-
cit esse corruptionem proprii, & natura-
lis caloris in humido a calore extraneo.

Item Gallen. 11. meteor. c. 8. af-
serit esse mutationem totius substantiæ
putrescentis corporis in corruptelam a
calido externo.

Paracelsus sulphur foetidum cum dis-
soluto mercurio putredinem appellat.

Helmontius archæum per blas com-
motum, & lacefitum putredinis causam
esse credit. Wilisius, Sylvius, & re-
liqui, partes sulphureas, & oleofas, al-
cali-

calinas, volatiles, extricatas, excalefatas inflammatae, & a reliquis secedentes putredinem esse autumant.

LIX.

Verum ex omnibus his adhuc in obscuro latet, quid proprie sit putredo? nam multa putreficiuntur, in quibus internus calor non extinguitur, sed potius augetur; uti contigit, si multa viridia in unum cumulum congesta putreficiuntur aere frigido existente. Item experientia constat in vase clauso, & in vacuo aut non fieri, aut saltem difficillime, putredinem, quamvis omnes aliæ causæ ab antiquis requisitæ adsint; adeoque sententia Arist. & Galleni non videtur nobis satisfacere, præcipue, cum fere idem per idem explicet.

LX.

Ait neque recentiorum opinionibus acquiescere possumus, quia ex his sequeretur, quod omnia foetida & sale volati-

latili constantia, & a reliquis principiis separata ad putredinem revocari deberent; sic castoreum, affa fœtida, spiritus cornu cervi &c. putrida dici deberent contra omnium sententiam Item experientia constat, si sulphur alcali fixum, & acetum misceantur, quod exurgat ex ista miscella mixtura fœtidissima adinstar ovorum putridorum; sed quis Physicorum talia ad veram putredinem, de qua hic est quæstio, revocabit?

Joannes Pringle experimentis ostendit, quod in rebus putridis non adsit sal aliquod alcali volatile, & quidem primo: si sero putrido acidum v. g. spiritus vitrioli affundatur, nulla fit effervescencia. Secundo: syrpus violarum non mutat aquam, in qua caro computruit. Tertio: neque sublimatus mercurius aqua solutus, eidem mixturæ additus aliquam mutationem causavit. Ergo signum est non adeste. alcali.

Item

Item omnibus notum est, quod cadavera, si partibus oleosis volatilibus imprægnentur, & condiantur, a putrefactione optime arceantur; igitur putrefactio ab illis dependere non potest. Accedit: in lignis putridis partes oleosas, alcalinas, volatiles potius deficere, & consumi, quam exaltari. Adeoque putredo ab alio principio dependere debet.

LXI.

Sed neque illa nobis arridet opinio, quæ humores nostri corporis tunc putrefieri statuit, quando illi notabiliter recedunt a statu naturali, & quidem sequentibus ex rationibus.

LXII.

Primo, quia hoc modo exprimitur effectus putredinis, non vera natura ejusdem; quæstio enim semper supereft, quid illud sit, propter quod a statu naturali recedunt. Secundo, quia sæpe humores nostri a statu naturali recedunt,

ut

ut in cachexia , in diversis cachochimiis
absque eo , quod putridi dici possint ;
quin imo in ipsis inflammationibus sanguis
per venæ sectionem extractus est spississi-
mus & lardaceus , adeoque plurimum re-
cedens a statu naturali ; quin tamen , fal-
tem sub initium morbi , putridus dici pos-
sit ; dum vero talis fit , observatur po-
tius disfluens , & sine notabili cohæsione .

LXIII.

Si tandem tertio prædictam putre-
dinis explanationem aliis extra nostrum
corpus humoribus applicare velimus , ad-
huc minus congruit ; etenim si liquidum
aliquid mutetur , ut v. g. vinum in acetum ,
aut aliquid acidum in alcali , aut ex
acidi & alcali miscella in neutrum , tunc
talia videntur non tantum notabiliter , sed
quam plurimum degenerare a statu na-
turali , absque eo , quod putrida dici pos-
sint .

LXIV.

Erit igitur necessarium, ut talem nobis formemus putredinis ideam, quæ unicuique putrido nimirum tam solido quam fluido conveniat; ex hac etiam ratione sapientissimus Boërhavius jam dudum motus fermentationis, effervescentiæ, & putredinis inter suos limites coercendos esse duxit, ne quilibet humorum motus pro fermentativo, aut putredinoso, uti vulgo fieri solet, assumatur; hoc autem spero fore, ut eo facilius assequamur, si pro possibili examinemus omnia, quæ in rebus putridis, contingere observamus; ex quo dein non tantum putredinis causa sed etiam effectus elucescent.

LXV.

Observamus primo, quod omnia, quæ putrescunt, exceptis lignis, spirent aliquem foetorem; ex quo inferri potest, sal aliquod volatile per ipsum motum putrefactionis fieri sensibile, quod prius non observabatur.

LXVI.

Observamus secundo, in loco frigido minus, in calido vero facilius fieri putrefactionem; huc spectat etiam aliqua proportio humidi; sic caro recens facilius putreficit, quam fumo indurata.

LXVII.

Obs. tertio liquida stagnantia faciliter putreficunt quam mota; sic aqua in fluminibus mota difficulter; in lacubus vero & stagnis, aliaeque desides aquæ cito putreficunt; idem dicendum est de humoribus nostri corporis.

LXVIII.

Obs. quarto, ad putrefactionem requiritur liber aëris accessus; sic in vacuo, aut in vase, alioque loco probe clauso, aut nulla aut saltem difficulter fit aliqua putrefactio. In hac observatione nititur illa Reipublicæ adeo utilis frumenta incorrupta per multos annos conservandi methodus; de qua legi meretur ele-

gantissimus tractatus Domini des Landes:
Maniere de conserver les graines. Quod
fit arcendo frumenta ab humiditate, &
aëre: qua ratione impeditur putrefactio.

Sic publicis ex ephemeredibus novi-
mus, in ruinis Herculani inventum fuisse
frumentum a multis sæculis incorruptum
persistens; quia non tantum ab omni arceba-
tur aëre, sed etiam, quia corpora cir-
cumambientia erant sicca exusta, nimirum
cineres Vulcani.

Ex hoc fundamento vidi conservari
Neapoli frumentum multis annis integrum
& incorruptum; quod fit siccando illud
in loco calido, & in fartagine fere tor-
rendo; qua ratione quidem germen pro
vegetatione destruitur, sed pro farina &
panificio, ut alias inservire potest.

LXIX.

Obs. quinto, in illis rebus, quæ putre-
scunt, observantur vel nudo, vel saltem ar-
mamato oculo innumerabilia animalcula; ta-
lia

lia videri possunt in aqua, vino, cerevia, aceto, in humoribus nostri corporis putrescentibus, ut in omni materia purulenta, sive illa sit variolosa, cancrosa, scabiosa, aut ulcerosa. Observationes, quas hic attulimus, nunc non demonstramus, quia dein opportuniter erit locus de his plura dicendi; easdemque experimentis evidentibus, & autoritatibus omni exceptione majoribus corroborandi.

LXX.

Si hæc rite ponderentur, quæ præmisimus, natura putredinis in aprico esse videbitur; sicque optimo jure dicemus; tunc aliquod corpus putrefactare, quando seminum verminosum animari, evolvi, & multiplicari incipit; hæc enim animalcula egerunt multa excrementa sale volatili constantia; item multa alia seminia, seu ovula ulteriori evolutioni inservientia; ex quibus, quæ liquida sunt, turbida & male olentia redundunt, solida

vero plus minus male olentia, mollia & friabilia fiunt; unde non immerito Kircherus putredinem animatam esse judicavit; quin immo Helmontius contra summi de putredine sententiam ostendere conatur, quod putredo hebraice vermem significet.

LXXI.

Ex quo patet, quam male effectus putredinis pro ejusdem causa & essentia vix non ab omnibus assumi soleat; fœtor nempe in rebus putridis observatus dictus fuit, ab illis excrementis, quæ talia animalcula egerere solent, dependere, adeoque se habet tanquam effectus ad prædicta animalcula; qui tamen, uti jam diximus in aliquibus rebus putridis, uti lignis abesse potest. Item patet, quod alia sint, in quibus putredo consistit, & alia, quæ ad putredinem disponunt, aut quæ illam concomitantur; ad putredinem requiritur certus gradus caloris prædicto.

ctorum animalculorum evolutioni inferiens; secundo requiritur proportionata humiditas, etenim experientia constat humida facilius quam sicca putrefcere; tertio requiritur libera aëris ventilatio; ut dein patebit.

LXXII.

Ne vero, quæ de putredine hucusque dicta sunt, perperam allata videantur, sequentibus rationibus, observationibus, experimentis & autoritatibus corroborari debent.

LXXIII.

Primo est illa notabilis observatio, quæ non tantum in transactionibus anglicanis sed specialiter, & eleganter exposta legi potest in tractatu physico de historia naturali Domini des Landes; quia vero hicce tractatus non cuilibet est ad manus, consultum duxi, illa, quæ ad scopum nostrum faciunt, sermone gallico ut ibi habentur, hic adjicere: *Tout*

le monde fait que l'eau douce qu'on embarque dans les vaisseaux, pour le service des officiers, & des équipages, s'altère & se corrompt trois & quatre fois de suite, & qu'il s'y engendre une infinité de vers. Mais on ignore peut-être chose que rapportent les transactions Philosophiques d'Angleterre : c'est que pendant les voyages de longs cours, l'eau douce qui est gardée plus d'un an dans des barriques, acquiert une qualité spiritueuse, & inflammable, à peu près comme de l'eau de vie. J'ai long-tems douté de cette observation, mais en ayant raisonné avec beaucoup de Navigateurs, je m'en suis à la fin convaincu par moi-même, & j'ai remarqué qu'en débouchant avec précipitation ces sortes de barriques, & approchant une lumiere fort près de la bonde, l'eau prenoit feu d'abord. La raison de cet évènement m'a long-tems embarrassé; mais considérant depuis, que dans un voyage d'un an, l'eau douce se corrompt à diverses reprises, & qu'il

qu'il y nait à chaque fois une infinité d'inse-
c̄tes, en se detruisant, laissoient une matière
buileuse, & inflammable qui furnage l'eau.

LXXIV.

Secundo est altera observatio, quam Eruditissimus Lancisius in tractatu de noxiis paludum effluviis p. 48. adducit quæ ita se habet: Primo si media æstate duæ nucerinæ aquæ moles totidem in phialis excipiantur; quarum una libero aëri exponatur; altera e contrario hermetico, ut ajunt sigillo ab ambientis contactu liberetur; illam quidem observabimus brevi vermiculis inquirari, qui ad aquæ superficiem delati; rupto cortice, miranda metamorphosi in stridulos culices vertuntur: banc vero (quam nunc etiam bujus veritatis testem servamus) ad multa lustra ab omni vermium contagione penitus vindicatam conspicimus. Adeo verum est, culices per aëra volitantes ova sua stagnibus lymphis, ut innuimus, tanquam in propriis nidulis colloquere.

Secundo vidimus una cum illustrissimo Blanchino in aqua culicum vermibus referta, ad prialæ fundum decidisse corpuscula quedam subrotunda obscuri coloris, quæ aliis nostrorum ovula, aliis terræ granula visa fuerunt; sed revera nibil aliud deprehensa sunt, quam fæces ab ejusmodi insectis egestæ, quæ alioqui cum in paludibus ab immenso animalculorum populo copiosissime dejiciantur, inde fætidum, crassumque cænum existit, & cumulatur.

Item Ovid. Lib. XV. metamor. Fab.

34.

Nonne vides quæcumque mora fluidoque li-
quore

Corpora tabuerint, in parva animalia
verti &c.

Quare ex his observationibus eviden-
tissime patet primo, quod in rebus putri-
dis observentur seminaria animalculorum.

Secundo, quod ab his animalculis
egerantur, plurima ovula, & excremen-
ta sale volatili constantia.

Ter-

Tertio, quod hæc minima animalcula diversas metamorphoses subire soleant; nimirum aliquando fiant volatilia, in nymphas & papiliones degenerent; de qua horum animalculorum metamorphosi inferiorius plura dicemus.

LXXV.

Hæc quæ adduximus, videri possunt in diversis probatissimis autoribus, ut in celeber. Lœwenh. arcanis naturæ detectis. Item in clarissimorum Needham, & Baker elegantissimis microscopicis observat. & aliis, ex quibus ultiro constat, quod quo minora sunt animalcula eo plura deponant excrementsa sale volatili prædita, & quod ab his fluida, quæ putrescunt, turbida, fœtida reddantur. Hoc ipsum confirmatur cuilibet obvia observatione, qua videmus aquas palustres, aliasque aquas stagnantes cœno putrido & fœrido ex infectorum ovulis & excretis constante oppleri & obtagi.

Qua-

Quare eadem ratione, qua obviis nostris sensibus videmus aquas paludosas, ab his turbidas, & male olentes reddi, admittere pariter debebimus, alia liquida, si putrescant, ab insensibilibus animalculis, eorumque excrementis, & ovulis turbida, & foetida evenire.

LXXVI.

Hucusque dictum est de liquidis, quæ putrefiunt; supereft, ut aliqua dicamus de solidis putridis; probemusque quod solidorum putrescentium soluta cohæsio, & partium ab invicem secessio dependeat ab erosione fibrarum, & tubularum, a prædictis vermiculis facta. Quamvis hæc ex supradictis facile deduci possent, tamen ut assertum evidenter videatur, diversis experimentis, & observationibus ostendemus, talia semper & ubique adeoque non tantum in lignis, & carnibus putridis, sed & in omnibus abscessibus; ut in ulceribus, can-

cro

cro aperto, lue venerea, scabie, aliisque corruptionibus obtinere & habere locum.

LXXVII.

Ad confirmandam nostram thesim, & ad convincendum quemcunque adversarium, alio auxilio opus non habemus, nisi selecto microscopio, quo armatus oculus in omnibus supradictis casibus innumerabilia, & exigua animalcula facile detegere, & conspicere poterit. Huc spectat notabilis observatio, quam habet Clariss. Lœwenh. in epist. 115. ad Dominum Hermanum von Zœle scripta; in qua ostendit, quod ligni & arundinum putredo ab exiguis animalculis dependeat, quæ ibidem in extenso legi potest. Idem testatur se expertum esse Eruditiss. Hartsoekerus in epistola ad Dominum Andry; in qua clarissime exprimit dari in cancro vermiculos perpetuo rodentes; quod etiam Dominus Andry in lue venerea, aliisque corruptionibus perpetuo

tuo obtinere in suo elegantissimo tractatu de vermibus probavit.

Clarissimus Fridericus Hoffmannus in suo eruditissimo tractatu de externis affectionibus asserit se observasse ulceræ esse contagiosa, quod certe fieri non posset, si illa non constarent ex vermiculis multiplicabilibus.

LXXVIII.

Sed nihil magis evincit, in lue venerea scabie, omnibus ulceribus, aliisque similibus corruptionibus seminaria animalium, quam vera & legitima methodus, qua in cura tractantur; ad debelandos enim istos morbos, cuilibet hoc tempore notum est, specifica esse anthelmintica, nimirum sulphur & mercurium, aliaque anthelmintica; verum hæc videntur unice respicere & attingere vermiculos. Huc spectat etiam cortex peruvianus, qui in ulceribus malignis, cancerosis & sphacelosis, & quidem tam inter-

nis

nis quam externis specificus hoc tempore
deprædicatur, ut inferius plura in par-
ticulari dicentur.


LXXIX.

Si putredo ulcerum in sale aliquo
alcalino volatili consisteret, ut adversarii
autumant, tunc optima & methodica cu-
ra deberet per acida institui, quia contra-
ria contrariis curantur; verum omnibus,
qui ulcerum curæ operam navarunt, notum
est, nihil magis ulceribus quam acida noce-
re, econtrario optima esse omnia anthelmin-
tica ex sulphure, mercurio, aqua calcis,
aqua phagadanica, aliisque balsamicis
amaricantibus; igitur evidenter exinde
deducere possumus quod vera & legiti-
ma cura ulcerum prædictos vermiculos
respiciat.

LXXX.

Ex quo patet ratio, quare vulnera
& ulcera tegi, & a libero arceri debeant
aëre; etenim ex jam dictis constat, quod

tam



tam acidum catholicum in aëre delitescens; quam quod, quia in libero aëre citior & facilior fit vermiculorum multiplicatio, vulneribus & ulceribus summo sint nocumento. Superius jam dictum est, & dein adhuc constabit; in aëre aperto fieri faciliorem vermiculorum multiplicacionem; a quibus dein fit major fibrarum carnearum errofio, & ulceris labiorum dilatatio, majorque fardium, & materiæ putridioris collectio; quia major est fœcum, & excrementorum a vermiculis egestio, uti superius jam diximus de aqua putrida. Hic plures aliæ in favorem nostræ opinionis observationes adduci possent; verum paulo post harum plures adducentur.

LXXXI.

Hic optima esset occasio de pure, seu materia purulenta aliquid dicendi; verum ne nimium evagari videamur, adducemus tantum illa, quæ ad nostrum de putredine

dine scopum pertinent, ad hoc, ut eo evidenter pateat, omne contagium a prædicto seminio verminoso dependere.

Communiter enim dicitur pus fieri, dum vasa continentia una cum liquidis contentis in loco stagnatoris in massam multiformem conteruntur, & mutantur.

Verum multa sunt, quæ huic asserto repugnare videntur, & quidem primo: experientia constat, in aut circa centrum tumoris inflammatorii pus primo confici; ubi tamen propter summum vasorum infarctum vix aliquis motus sive solidi sive fluidi supereft; totus enim motus, & impetus ejusdem, qui a corde ad partem inflamatam propagatur, exercetur ad circumferentiam tumoris inflammatorii; adeoque ibidem deberent potius vasa una cum liquidis primitus potius subigi, & conteri, quam in centro, ubi vix aliquis motus aut impetus adest. Secundo: sanies & materies purulenta non differunt

nisi secundum magis & minus, observamus autem quotidie saniem fieri etiam in cadaveribus; ast quis dicet, aut admettet, quod in cadaveribus vasa una cum liquidis contentis in talem saniem conterantur? cum in cadaveribus nullus sit motus, aut impetus a corde, sicut in vivis; adeoque sicut admitti debet, quod in cadaveribus sanies dependeat a vermiculis, qui vasa fibrilasque erodunt, horum particulas abrasas una cum humoribus & propriis excrementis miscent, a qua miscella dein illa sanies dependet; idem pariter dicendum erit de pure, quod in vivis animantibus confici solet. *Tertio:* si dicatur materia purulenta dependere a vasis, & liquidis in unam maioram ad invicem contritis, sequeretur, quod una materia purulenta non differret ab alia nisi secundum magis, & minus, in quantum nimirum una acrior, quam altera esset; verum hoc assertum videtur sa-

næ rationi contrarium esse; etenim quis dicet, materiam purulentam, variolosam, cancrofam venereum, & scabiosam tantum secundum magis & minus differre? superius jam probavimus, atque dein adhuc clarius patebit, specificam hic intercedere differentiam; quia alii & specie diversi debent esse vermiculi in materia variolosa, quam in cancrofosa, aut luis venereæ. Plura vide §. XXII.

LXXXII.

Ast qui pertinaciter contrariæ adhærent sententiæ, aliud in his jam addu, & tis argumentis non inveniunt effugium - quam quod dicant, vermiculos illos, qui in rebus putridis observantur, esse effectum putredinis, non vero ipsam putredinem, adeoque putredo debeat esse aliquid aliud, & ab alio principio dependere. Verum quale illud principium sit, in quo vera putredo consistat, non determinatur, neque determinari potest,

nam superius jam ostendimus in illis, quæ adversarii afferunt, veram naturam putredinis constitui non posse; igitur nihil supereft, nisi materia quædam animata, per quam putredo constituitur, ultro propagatur, & distinguitur.

LXXXIII.

Clarissimam instantiam habes in morbo pediculari, qui alias phtiriasis appellatur, tales morbos pediculares mirabiles legere possumus in Valisnier. T. I. p. 339. & alibi. Omnes norunt hunc affectionem esse contagiosum, & cum putredine coniunctum, item unusquisque a præjudiciis alienus admittere debet, naturam, & essentiam hujus morbi confistere in materia animata, & per hanc materiam animatam hunc morbum ultro propagari & multiplicari, quin imo, & specificari ab omni alio morbo contagioso; igitur etiam admittere debet, illud quod hic putridum vocatur a prædicta materia animata seu potius

tius ab ejus excrementis dependere; nullus enim credo inficias ibit, quod illud fœtidum, maleolens a pediculis depositum non sit aliquod congestum ex illorum excrementis, & ovulis; sicut superius demonstravimus, quod illa materia, qua aquæ stagnantes, ut in lacubus & paludi- bus videre est, teguntur, nil aliud sit, quam aliquod congestum ex ovulis, & ex- crementis diversorum insectorum; idem etiam dicendum erit in nostro casu, & de scabie.

LXXXIV.

Ex quo iterato constat, aliud esse, in quo putredo consistit, & aliud, quod tanquam effectus aut tanquam signum pu- tredinem demonstrat; fœtor enim ille, & maleolens odor, qui in rebus putridis præ- cipue vero liquidis observatur, est effe- ctus & signum; ex quo ideam putredinis formamus, qui tamen in aliquibus solidis, putridis, ut lignis vix sensibilis est, adeo-

que naturam putredinis non constituit; quaer pessime judicant, qui in tali putrido odore, naturam putredinis constituunt.

Verum hic aliquis quærere posset, unde ille excrementorum fœtor, & maleolens odor, qui in rebus putridis observatur? Respondeo, hujus erit eadem ratio, quæ est, quare ex seminibus non fœtidis oriantur diversæ plantæ, fructusque fœtentes; dantur enim multa, & mirabilia in rerum natura, quorum rationem evidentem ignoramus.

LXXXV.

Ast dices primo dantur in diversis rebus plurima animalcula absque putredine; adeoque putredo ab his non dependet; sic Loewenh: in epistola ad Fridericum Adrianum Baronem asserit, dari in cerasis, prunis, sed præcipue in rosis minimæ animalcula, quæ eorum pediculos nominat, absque eo, quod aliqua observetur putredo.

Di-

Dices secundo, in pomis, pyris, aliisque fructibus putridis observatur unus alterve tantum vermiculus ; sed non est credibile ab uno alterove vermiculo putredinem, quæ in fructibus est, dependere ; adeoque debet esse alia causa, quare putrescant ; sicque dicendi erunt illi vermiculi esse potius effectus, quam causa putredinis.

LXXXVI.

Respondeo ad primum : quod animalcula dari possint absque putredine, seu ut adversarii dicere solent, absque tali fœtido odore facile concesserimus ; nam necesse non est, ut ipsa animalcula, aut etiam eorum excrementa fœteant, & male oleant, uti jam diximus de lignis putridis ; sed hoc adversariis nostris concedere non possumus, quod putredo absque tali materia animata esse possit ; quæ materia animata saltem armatis oculis detegi potest ; interim quamvis selectissimis etiam microscopiis talis aliquando non detegere-

tur exinde tamen ejusdem absentia inferri non potest; sicut enim, quamvis foetus in prædictis animalculis contenti, & dein successive evolvendi, detegi non possint, non licet inferre, quod tales non adsint; idem dicendum erit in nostro casu. Ex quo dein patet responsio ad secundam objectionem.

Quamvis enim in pyris, pomisque putridis unum alterumve vermiculum nudo oculo offendamus, armato vere oculo longe plures detegi possunt; etiamsi vero hoc fieri non posset, tamen propter analogismum quendam, eo quod in aliis rebus putridis tales observentur, concludere possumus, illos etiam hic adesse debere.

LXXXVII.

Tandem pro confirmatione nostræ de putredine sententiæ videntur sacræ literæ plurimum favere; sic legimus mannam, quam Deus Israëlitis pluerat, si hæc in aliam fuisset conservata diem, putridam, &

ver-

verminosam fuisse redditam. Vide Exodi Cap. 16. vers. 19. 20.

Item legimus Regem Antiochum tirannum vivum putruisse ex verminosa materia. 2. Machab.

LXXXVIII.

Hæc, quæ in præsentiarum de putredine diximus, necessario prius digerenda erant, ut eo evidentius sententia de contagio superius proposita pateat; nam putredo & contagium ita invicem necuntur, ut contagium in nostro corpore sine putredine esse non possit; adeoque eadem vix non ratione exponi, & explanari debeant. Quemadmodum enim in unica guttula v. g. putridæ aquæ 2750000. animalculorum constitui possunt, & ex uno, ut superius diximus, vegetabilium semine innumerabilia alia educi possunt, ita, & eadem ratione ex minima, & vix sensibili materiæ contagiosæ portiuncula uberrima multiplicatio & propagatio concipi potest.

Talem materiæ contagiosæ uberrimam multiplicationem, & propagationem vide re clarissime possumus in infitione, & inoculatione variolarum; etenim vix sensibilis est materiæ purulentæ particula, quæ ad infisionem adhibetur; quæ tamen ut experientia docet, fere sine fine multiplicari & propagari potest. Sed quis, rogo, non erubescet dicere, sal aliquod sive acidum sive alcalinum, sive neutrum ita multiplicari, & propagari? Igitur dicendum erit, miasma illud animatum, quod armato oculo in qualibet materia purulenta observatur, hanc propagationem, & multiplicationem subire, eodem & naturæ magis congruo modo, uti videmus in vegetabilibus unum semen fere sine fine multiplicari posse. Idem in phtiriasi, seu morbo periculari contingere superius jam demonstratum fuit. Item in scabie possunt facilime detegi vermiculi, quorum ope scabies sit contagiosa, & ultiro propagabilis;

sic

sic Doctor Bonnius describit figuram non tantum animalculorum, sed etiam ovorum, quæ in scabie observantur: vide Transaction. Philosoph. N. 283.

LXXXIX.

Si hæc quæ diximus, præsertim vero, si infisionem, & inoculationem, quæ in vegetalibus v. g. cum gemmis fieri consuevit, attenta & ab omni præjudicio liberamente consideremus, admittemus procul dubio, nihil in rerum natura esse verisimilius, & magis quoad omnes circumstantias convenire, quam hanc cum illa, quæ ad inoculandas variolas institui solet, methodus. Sive enim gemmam ad inoculationem, sive ramuscum ad infisionem, sive aliam quamcunque plantæ partem ad ejusdem speciei propagationem, & multiplicationem assumamus, semper admettere debemus, in illa gemma, surculo, ramusculo, folio, radice contineri propriae plantæ semina primigenia, quæ dein per

per ulteriorem germinationem evolvuntur; nam si hoc non admittamus, exurgit illud absurdum, de quo superius diximus, nimirum semina produci de novo, & ex fortuito aliquo particularum motu & concursu exurgere mirabilem illorum fabricam; quod jam superius ad Atheismum aperire viam ostendimus.

XC.

Itaque spero fore, ut nullus dubitet, quin admittat illa per infestationem, aut inoculationem de novo; ut dici solent, producta semina, esse ex aliis evoluta; item ex eadem pariter ratione concedat, variolas per infestationem esse ex suis seminibus evolutas, sive multiplicatas, & ultro propagatas. In quo concedendo multo minus haesitabimus, si perpendamus in materia purulenta variolosa dari innumerabilia animalcula, quae ibidem quam plurima deponunt semina, haec seminia dein

ul-

ulteriori evolutioni , propagationi , & multiplicationi inservire solent.

XCI.

Unde ratio patet , quomodo & quare insitio variolarum cum materia variolosa sicca & procul allata , in qua jam omnia animalcula emortua , aut saltem semi mortua sunt , institui possit ; hujus experimenti ratio constat partim ex jam dictis , partim ex aliis observationibus fere cuiilibet obviis ; sic lacus & paludes exsiccatæ adhuc continent in illo cœno sicco quam plurima semi-mortua animalcula , eorumque ovula , quæ dum lacus readimuntur aqua , iterum reviviscunt & evoluntur . Quare ex nostra , & non alia sententia redi potest ratio , cur seminaria contagiosa tamdiu inertia , antequam evoluntur , latere possint . Qui plura hac de re legere cupit , adeat **Lancisium** de noviis paludum effluviis , item **Loewenhæ-**

kii epistolam 144. ad illustrissimum virum Bleyfvicium.

XCII.

Hæc est vegetabilium, & variolarum unifona infisionis ratio, quæ si ulla unquam, me allicere potest, ut credam, eadem ratione nimirum per semina propagari & multiplicari tum vegetabilia, cum variolas; nam tanta est in hoc artificio utriusque conformitas & similitudo, ut non alia menti meæ repræsentetur nisi vegetabilis, & animalis differentia.

XCIII.

Hoc ipsum, quod dictum est de communicatione, & propagatione contagii variolosi per infisionem, intelligi & dici debet de communicatione & propagatione ejusdem quacunque alia ratione humoribus nostris mixti: sive enim materia contagiosa per vasa absorbentia periphæriæ corporis, sive per inspirationem, sive una eum saliva deglutita, aut quacunque alia

ra-

ratione corpori communicetur, idem semper exinde exurgit effectus, & affectus.

XCV.

Huc referri possunt illæ observatio-
nes, & annotationes, quas Kircherus
& Mercurialis de muscis & crabronibus
tempore pestis noxiis, pestem inducen-
tibus, eamque ultro propagantibus di-
vulgarunt. Nam, cum hæc animalcula
corporibus, & cadaveribus peste infectis
infidere, eorumque succo saturari soleant;
si hæc suis aculeis, & promuscidis spicu-
lo corpus cætera sanissimum pungant, fa-
cile tale miasma pestiferum (fere ut in in-
fitione variolarum contingere solet) com-
municant; quod humoribus nostris mix-
tum illos eodem contagio imbuit.

XCV.

Supersunt multæ aliæ tum observatio-
nes, cum autoritates, quibus nostram
opinionem corroborare possemus, verum
principes adducemus, sicco pede reliquas

præ-

præterituri sic legimus in act. Nat. cur. Dec. 2. anno. 5. p. 26. lue venerea infectum, esse totum verminosum. Idem potest A. N. C. vol. 1. obs. 242. videri.

XCVI.

Contagium vermes esse volantes videre quisque potest Dec 1. ann. 1. obs. 13. p. 56. Idem expertus est Clar. Andry in omnibus ulceribus contagiosis, ut in lue venerea, in cancro, in fistula lacrymali, aliisque contagiosis affectibus, quod ipse acutissimus Hartsoekerus in epistola ad D. Andry evidentissimis observationibus comprobavit. In purpura dari pariter vermiculos legi possunt fel med. Francf. Tom. 1. p. 102. & 106. item Galizius T. 11. p. 50.

Easdem observationes habet Lancifius p. 341. in epidemia ab aëre verminoso.

XCVII.

Cuilibet notum est dysenteriam esse morbum contagiosum; verum in excremen.

mentis dyffentericorum videri possunt innumerabiles vermiculi. Vide Bonet. med. sept. coll. p. 567. item D. Bono apud Valisnerium, atque plures.

XCVIII.

Ast non tantum in statu præternaturali; sed etiam alias in stercore, & excrementis observatur indefinitus numerus animalculorum, ita Loewenh. passim, sed præcipue in epist. ad Christophorum Wren, item alia in epistola ad Robert. Hooke.

XCIX.

Item observavit Valisnerius Tom. III. p. 207. sputum in pleuritide esse totum verminosum. Unde ratio patet, quare si in pleuritide, & peripneumonia expectoratio deficiat, exanthemata plerumque supervenire consueverint; quia nimirum materia corrupta, & putrida, quæ per sputum secedere deberet, ad sanguinem resorbetur, sicque lege circulationis ad circumferentiam corporis propelli-

Tom. I.

F tur.

tur. Notatu dignissimum est, quod Dottissimus P. Lana in suo *prodromo all arte maestra* C. 8. p. 249. afferit, a se in omni infectorum sanguine observata fuisse minima animalcula verminosa, quæ si nigra in infectis appareant, mortem prænuncient. Item tales vermiculos dicit, a se observatos fuisse in omni re putrida.

C.

Præterea dantur multæ aliæ observationes practicæ, ex quibus tanquam a posteriori materia contagiosa statui potest esse verminosa; norunt enim omnes practici, fere omnes similes morbos, uti §. LXXXI. jam demonstravimus, remediis contra vermes, seu anthelminticis tractari, & optimè absolvi. Sic scabies, lues venerea, aliæque foeditates cutis promptissime mercurio obediunt. Talem contagiosam foeditatem cutis mercurio curatam vide sis Ephemer. nat. C. ann. 3. p. 157.

Sic

Sic Dovers: *legs d'un medecin à sa patrie* dicit, pruritum externum esse a vermiculis, quia aqua mercurialis juvat. p. 107. Item experimento didicit, ulcera depascentia, quæ variolis supervenire solent, optime curari mercurialibus; vide ejusdem tract. de variolis.

CL.

In febribus malignis mercuralia esse optima remedia. Vide comment. de rebus in med. gestis Tom. I. p. 240. & alibi: sic Bianchini dragmam unam prodosi cum syrupo, aut conserva appropriata ter aut quater de die propinabat.

CII.

Fridericus Schreiberus observavit in febribus pestilentialibus mercurium cum camphora mixtum esse præ omnibus aliis remedii efficacissimum; etenim hoc modo mercurius a camphora ita cicuratur, ut impar sit movendæ salivationi, quod etiam Expertissimus Huxham observavit.

Europæi æquatorem transeuntes toto persentient corpore intolerabilem pruritum, qui mercurio facile abigitur; hic autem pruritus dependet a pluviis verminosis ibidem copiose cadentibus. Ita des Landes in suo elegantissimo tractatu de ventis p. 303. huc referri possunt amuleta, quæ in peste, aliisque morbis contagiosis pro præservatione in usum vocari solent, quia constant ex mercurio & arsenico. Verum hoc tempore omnes practici norunt, quam proficuus fit cortex peruvianus in omnibus malignis, & contagiosis morbis, in omnibus incurabilibus ulceribus tam internis quam externis, in gangrenam, aut sphacelum tendentibus; ast ostendi non potest alia ratione nisi virtute sua, quam possidet, anthelmintica hunc effectum exercere posse.

CIII.

Corticem vero peruvianum esse summum anthelminticum vide A. N. C. dec.

2. obs. 123. Idem legere poteris in A. Erud. Lips. Han. 1695. p. 386. Idem sentiunt Lancisius, Ramazzini, Werlhoff, aliqui, qui hoc remedio non tantum ad gangrenam, sed etiam in morbis contagiosis utuntur.

Quapropter legi meretur Clariss. Vateri dissertatio de efficacia corticis peruviani in gangrena Wittenb. 1734.

CIV.

Febres epidemicæ malignæ, quæ aliis remediis non cedebant, tollebantur cortice peruviano. Vid. comment. de rebus in scient. nat. & med. gestis vol. V. part. IV. pag. 666.

Eundem effectum expertus est in febribus malignis Clar. Apini in tractatu de morbis epidemicis. Sed nunquam evidenter virtus alexipharmacæ constat, quam ex observationibus Eruditissimi & Magnificentissimi D. de Haen; vide ejus rationem medendi.

Videntur itaque tam mercurius, quam cortex peruvianus in prædictis morbis contagiosis suam vim vermifugam & vermicidiam exerere, & hac ratione alexipharmacæ appellari possunt.

CV.

Huc etiam referri debet illa notabilis observatio, quam habet Celeberrimus Bocconi in suo tractatu lingua etrusca edito, cui titulus: *Osservationi naturali &c. observatione 3^{ta} p. 60.* Dicit enim, in omnibus ulceribus, bubonibus petechialibus, aliisque contagiosis se deprehendisse innumerabilia animalcula, ubi adducit casum cuiusdam ægri, qui in externo corporis habitu laborabat pustulis seu tuberculis plenis vermiculis; unde a Domino Baronio medico Paduano, ibique professore meritissimo unctione mercuriali sanabatur, quem casum attestato latino confirmat. Idem fere casus narratur a Domino Philippo Massiero Chyrurgo Padua-

no;

no: Erat ulcus in pede plenum vermiculis carni muscolosæ profundissime infixis; hoc ulcus tractabatur ordinariis traumaticis & anthelminticis, quibus alias vermes intestinales deleri & occidi solent; sed nihil proficiebat; quare judicat Doctissimus Valisnerius, tales fuisse diversos ab intestinalibus, adeoque unctione mercuriali, tanquam universalis anthelmintico delendos fuisse. De morbo pediculari mercurio curato possunt multæ, & mirabiles historiae legi in Bibliotheca med. pract. Mangetti, item apud Schenkium, Bartolinum & alios; sed nil magis mirum, quam historia in operibus Cl. Valisnerii T. I. p. 339. allata de octuagenario, qui tanta pedicularum multitudine obruebatur, ut non tantum totum corpus, sed & lectus & vestes iisdem exundarent; a quibus ipse Clariss. Autor deducit, illam putridam & ulcerosam materiam ab eorum excrementis dependere.

Prætereo multa alia experimenta, quæ dein, dum de rubigine, de lue, seu morbis contagiosis brutorum, de variolis, scarlatina dicemus, adducentur. Supereft, ut ostendamus, quod ex jam jactis de contagio, & putredine fundamentis, facilius, & expeditius, quam ex ulla alia de contagio opinione, multæ, & difficiles alias quæstiones, solvi & enodari possint.

CVI.

Quare ad quæstiones superius propo-
fitas ex nostris principiis facile responde-
re possumus; sic in prima quæstione pro-
posita fuit difficultas: quare a variolis va-
riolæ, a peste pestis, a lue venerea lues
venerea pariter contrahatur, & propage-
tur? idem dicendum est de aliis morbis
contagiosis. Sicut enim ex certo vegeta-
bilium semine certa planta, & non alia,
ita ex certo contagioso miasmate certus,
& determinatus affectus, & non aliis evol-

vitur, & propagatur; quia unum sicut alterum ad primigenia illa semina reduci, & revocari debet.

CVII.

Ex quo fundamento satisfieri pariter potest alteri quæstioni, quæ contagium hominum specie distinguit a contagio brutorum; item quæ brutorum contagia specie inter se differre afferit; sic lues bovina debet specie differre ab equina, ovili, canina, & aliis; quia non tam facile videre est, ut contagium unius speciei propagetur ad aliam speciem; sic videmus, canes & homines impune versari inter boves & oves lue affectas. Cui quæstioni ipse Divus Hippocrat. lib. de flatibus N. 8. satisfacere videtur dicens: *diffrerit corpus a corpore, natura a natura---non enim omnium animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda sunt alia aliis magis convenientia. Quando igitur aër ejusmodi inquinamentis plenus est, quibus humana na-*

tura offenditur, homines ægrotant; quando vero alteri cuiquam animantium generi aër inconveniens est, tum morbus illud genus corripit. Ex quo patet, quod alia sint semiaria in contagio, quod homines, & alia, quod bruta afficit; sed de his plura in sectione de rubigine dicemus.

Ast, dices ex observationibus constat, contagia ab una specie in aliam speciem transiisse ut in ephemerid. dec. 2. ann. 7. obs. 192. Item cent. VIII. obs. 44. Item Silius Italicus de peste carthaginensi lib. 14.

*vim primi sensere canes, mox nubibus
atris*

fluxit deficiens penna labente volucris.

Similem contagionem describit Dionysius Halicarnasseus lib. 9. quæ primo equorum, bovumque armenta invasit, mox pecudes, & alia quadrupedia aggressa est, dein pastores, & colonos attigit & totum Romanum agrum pervagata, urbem Romanam

mam invasit. Adeoque ex his, aliisque, quas hic præterire oportet, observacionibus, videtur idem specie miasma contagiosum ab una specie ad aliam transiisse.

CVIII.

Item quotidie fere in praxi observamus, unum miasma contagiosum cum altero conjungi, aut in alterum degenerare; sic saepe videre est miliaria exanthemata cum variolis, morbillis, petechiis, aliisque conjungi, & eundem eodem tempore affligere ægrum. Item scabies, aut ulceræ de repente fuccata, & retro pulsæ in miliaria degenerare solent. Adeoque signum est, eandem esse ubique causam materialem, & secundum magis tantum & minus differentem.

CIX.

Ad primum respondemus: hoc tempore vix aliquando aut saltem rarissime observari, luem ab una specie ad aliam transfire; si tamen aliquid simile continet,

gat,

gat, dicimus, non esse eandem specie causam materialem contagii sed aliam & specie diversam, quæ ex diversis causis corporibus communicatur, aut si illis jam inest, evolvitur, & in actum deducitur.

CX.

Ad secundum respondemus: sæpe contingere, ut exanthemata miliaria præcipue cum variolis conjungantur, aut easdem subsequantur; adeoque dicimus, talem causam materialem variolarum, & miliarium posse esse eandem specie, & posse etiam specie differre; si enim experientia constaret, quod a tali materia miliarium sive per inoculationem, infisionem, aut quacunque alia ratione alteri corpori communicata, non variolæ sed ipsa miliaria propulularent, in tali casu diceremus, hanc materialem causam miliarium esse specie diversam a variolosa, adeoque propria ejusdem seminia in corpore jam latuifse, & tandem per diversos motus febriles

evo-

evoluta esse, quemadmodum hoc vide-
mus in pleuritide, & peripneumonia, ali-
isque, quæ non discutiuntur, inflamma-
tionibus fere quotidie contingere.

Si vero constaret, quod hæc materia
miliarium, quacunque ratione alteri corpo-
ri communicata, tandem in variolas dege-
neraret, in tali casu nos diceremus esse
eandem causam materialem, & quidem
variolosam; adeoque differentiam nullam
intercedere nisi quoad ipsam faciem ex-
trinsecam, quæ speciem mutare non pot-
est. Hæc vero differentia extrinseca de-
rivari potest primo a tempore morbi,
quo in conspectum venire solent exanthe-
mata, secundo a loco, in quo talia pro-
pululare consueverunt; quoad primum,
notum est practicis, exanthemata milia-
ria supervenire ægris, a variolis tanquam
principe morbo vix non jam exhaustis,
ubi inquilini humores jam deficiunt; adeo-
que deest humidum, ut in tantam eleven-
tur

tur molem. Interim hæc differentia dependere potest etiam a loco, seu a vasis, in quibus talium humorum stases continentur; clarissimam instantiam habemus in materia contagiosa venerea, quæ pro diverso tempore morbi, & loco, etiam diversam faciem externam repræsentat, sic in principio gonorrhææ alba, dein flava, tandem, si diutius duraverit, & virulenta evaserit, viridis conspicitur; item aliter se habet illa materia venerea, quæ in facie, aut membro virili per modum ulcusculorum videtur, quam illa, quæ diversas glandulas per modum bubonum, ut in inguine occupat. His non obstantibus, est tamen eadem specie materia venerea.

Hoc ipsum videre est in furunculis, qui variolis quandoque supervenire solent, & ægris plus molestiæ, quam periculi inferrunt; nam suppurati, & aperti magnam

ma-

materiæ purulentæ quantitatem fundunt.
Hanc autem materiam furunculorum nihil
esse judicamus, quam materiam variolo-
sam a suppuratis variolis per vasa abfor-
bentia peripheriæ corporis ad massam
sanguinis delatam, atque una cum humo-
ribus circulantem, & per modum criseos
ad superficiem corporis depositam; si enim
isti furunculi, qui variolis superveniunt,
& eorum pus, quoad externam tantum
faciem considerentur, vix aliqua observa-
ri poterit differentia ab aliis furunculis,
qui a materia variolosa non dependent,
cum tamen specie inter se differant; nam
a primis judicamus variolas ultro propaga-
ri posse, quod ab aliis fieri non poterit.
Igitur quemadmodum nec in animalibus,
nec in vegetabilibus aliqua levis externa
differentia, aut similitudo speciem consti-
tuit, aut variat; idem dicendum erit in
nostro casu. Etenim experientia constat
eadem specie vegetabilia, & animalia
propter

propter diversitatem loci, & aëris diversam aliquantum faciem præseferre.

CXL.

Verum si quis laboraret, ut nostris dictis assentiatur, facilius concipiet varias in materia contagiosa occurrentes mutaciones, si pérpenderit rite mirabiles metamorphoses, quas in minimis insectis, quin imo & in vegetabilibus contingere observamus; poterimus propter quendam analogismum multa phænomena de contagio in genere, & in particulari resolvere, & dilucidare. Sic in animalibus videmus multas, & mirabiles metamorphoses sæpiissime evenire; quemadmodum vermiculi, qui frumenta, & circumposita tabulata exedunt, fiunt tineæ volantes, istæ deponunt multa ova, ex quibus dein prædicti vermiculi evolvuntur. Pulices ponunt ova, ex his prodeunt vermes, & ex vermibus pulices. Item varia erucarum genera transformantur in muscas, & ex ha-

rum

rum muscarum ovis itidem erucæ evolvuntur, quam plurima alia sunt Nymphæ, chrysalides, quorum aliqua citius, alia tardius evolvuntur; sic dum aqua, aut aliud fluidum putrefit, diximus evolvi quam plurima animalcula, quæ, successive dum adolescunt, adscitis alis, in aëre suum quærunt domicilium.

Item constat ex obs. Valisneri, vermes equorum in chrysalides, & has in muscas degenerare. Plures similes metamorphoses legi possunt apud Clarissimos Loewenhæk, Schwamerdam, Reaumur, Lesser, sed præcipue in elegantissimo tractatu expertissimi Domini Gœdart gallico sermone edito.

CXII.

Ast tales metamorphoses legimus etiam in antiquissimis autoribus, ut Aristot. & Ovidio. sic Aristot. L. V. H. A. CXIX.
longo post tempore putamine rupto avolant

Tom. I.

G

inde

inde animalia pennigera, quæ papiliones vocamus.

Item Ovid. metamorph. lib. V. de metamorph. insect. ita habet:

*Quæque solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineæ (res observata colonis)
Ferali mutant cum papilione figuram ;
Nonne vides , quos cbara tegit sexangula
fætus
Melliferorum apium sine membris cor-
pora nasci
Et sérisque pedes , sérisque assūmere
pennas ?*

CXIII.

Item secundo observationibus constat, quod dum talia insecta se in nymphas condunt, seque plus minus denso, & duro obvolvunt putamine, aliqua eorum citius, nimirum ca aliquot hebdomadas, alia tardius, intra aliquot menses, quin imo intra annos, rupto prædicto putamine evolvantur, & in papiliones aut alte-
rius

rius generis infecta degenerent; sic omnium, qui observationibus microscopicis operam navarunt, repetitis experimentis constat, quod semen ante pubertatis annos animatum, seu vivis vermiculis refertum, non observetur; cum tamen hoc ipsum semen in genitore, a quo derivatum erat, multos ante annos animatum fuerit; adeoque signum est, tales vermiculos, sive sub specie nymphæ, sive ovulorum, diu delitescere, antequam animentur. Idem observamus in miasmate v. g. pestilentiali, venereo, podagrico, hydrophobico, aliisque, quæ diu inertia, antequam evolvuntur, latere possunt.

CXIV.

Observamus tertio, quod animalia bruta majora devorent minora; quin imo hoc ipsum observamus etiam in minimis; sic vermiculi, qui microscopico in tartaro dentium observantur, delentur a vermiculis acetis vide Loewenh. Arcana nat.

detecta p. 43. Talia plura apud prædictos clarissimos autores legi possunt. Quintimo talem antipathiam intra multa vegetabilia videmus. Act. Erud. Lips. 1689.

p. 343.

CXV.

Observamus quarto, quod quædam insecta deponant sua ovula ad corpus aliorum animalium, ibidem fovenda, ac tandem evolvenda, quæ ratio aliquibus imposuit, ut crederent, unum animal in aliud mutari, cum tamen non nisi fotum, & nidum pro evolutione præstiterit; sic dantur quædam muscæ, quæ equis ad anum depo- nunt semina, quæ, dum ibidem evolvun- tur sub specie vermiculorum, se in intesti- na insinuant. Vide Reaumur Tom. IV. p. 11. m. XII. Item est genus muscarum, quæ ichneumones vocantur, istæ depo- nunt ovula ad corpus aranei, & eruca- rum; talia ova pariter ibidem foventur, & excluduntur, sed ut breviter efferam,

quod

quod omnes norunt : nimirum vix aliquod animalium genus esse , in quo & ex quo non propululent diversa infectorum genera ; quin imo ipsa infecta habere alia infecta a supradictis clarissimis autoribus demonstratum & omnibus notum est . Ast nihil in natura mirabilius invenio , quam quod Nieremb. hist. nat. exot. lib. X. cap. 14. affert ; afferit enim , dari in Brasilia certum avium genus tuputa dictum , quæ vivæ totæ vermibus farciuntur , has pro carne habent , his singula membra imbuta sunt , præter ossa & pellem nihil carneum habere videntur , cutem densis exornatam pennis perforare non observantur . Unde in omnibus his & similibus causibus admittere debemus talia seminia ibidem deponi , aut jam illis inesse , & suo tempore ibidem evolvi .

CXVI.

Tandem quinto observamus , in eodem solo diversæ speciei vegetabilia evolvi , &

G 3

cresce-

crescere; item constat, ejusdem speciei vegetabilia habere alias species fibi subordinatas; sic dantur diversa poma, pira, cerasa, mala, sunt enim alia dulcia, alia acida, alia vinosa &c. quin imo observantur etiam in vegetabilibus diversæ contingere metamorphoses; scilicet quasdam antiquitus cognitas plantas nunc desiderari, novas vero & alias incognitas exoriri, & quandoque degenerare A. E. Lipf. 1686. & 1687. p. 106. Ipse Eruditissimus & in botanicis acutissimis Linnæus admittit non tantum in animalibus, sed etiam in vegetabilibus species spurias, seu hibridas, quæ habent propria seminia, ut diutius in natura perdurare possint. Talis est v. g. peloria, quam ex linaria derivat, dum nimirum stigma linariæ alterius plantæ semine conspergitur.

CXVII.

Notabilis degenerationis vegetabilium casus legebatur in publicis ephemericibus
anni

anni 1758. nimirum grana avenæ sata in verum triticum degenerasse, quod taliter contigisse fertur: Pauper rusticus in æstate avenam seminavit: hic ut sua armenta pasceret, virides in eodem agro protuberantes prominentias resecuit, quod fere singulis quatuor aut quinque hebdomadis ad ternas usque vices repetiit; sicque suo tempore non avenam, sed verum triticum magna cum sui admiratione collegit.

Idem experimentum, & eodem modo & cum eodem effectu probatum fuit in Hollandia Harlemi a Domino Sypenstein consiliario, & pro illo anno societas scientiarum ibi erectæ Præside.

CXVIII.

Interim si experimentum, ut nobis oblatum erat, ita se habet, haud credidero, semina avenæ in verum fecale degenerasse, aut mutata fuisse, sed si mihi liceat conjecturare, crediderim potius in uno semine sæpe, aut saltem aliquando contine-

ri plura alia semina specie diversa, pro diversitate circumstantiarum quandoque evolvenda. Hoc docent morbi hæreditarii, ubi in semine humano eorum etiam semina continentur. Sic semina v. g. triticæ cætera saluberrimi, si sint in vicinia alterius tritici rubiginosi, confestim inficiuntur miasmate rubiginoso, ut, si talia seminentur, triticum exinde rubiginosum evadat. Idem dicendum est de illis insectis, ut tuputa, quæ verminosa oriuntur & vivunt. Item constat, grana chermes nihil aliud esse, quam cumulum vermiculorum. Grana seu semina piperis videntur pariter in se continere seminia vermiculorum, quia macerata in aqua copiosissima talia exinde evolvuntur. Unde non immerito videtur Buffonius opinari, omnia vegetabilia esse animata.

CXIX.

Ex his, aliisque similibus observationibus, quæ tam in regno animali quam in
vege-

vegetabili evidenter contingere videmus,
possunt propter paritatem rationis multa
corollaria, quæ ad enodandas quam plu-
rimas & difficillimas de contagio quæstio-
nes inservirent, deduci; ut si quæras.

CXX.

Quare miasmata maligna tamdiu in-
ertia persistere valeant, ut in hydropho-
bia, podagra, lue venerea, aliisque simi-
libus observare est? quæ multos annos
innocua, & inertia in corpore latere, &
tandem multos post annos feris in nepoti-
bus in actum deduci & efflorescere vide-
mus; quin imo exinde explicari potest,
quomodo certi morbi contagiosi, ut lepra,
variolæ, lues gallica per multa secula file-
re, aut saltem vix sensibiliter se explica-
re valeant: etenim ex nostra, quam stru-
imus sententia, certum est, omnia morbo-
rum contagioso rum seminia ab initio crea-
tionis jam extitisse, & probabiliter primis
seculis, quamvis nullam eorum memoriam,

si pestem excipiamus, habeamus, tam funesta, quam nunc saevitie genus humanum afflixisse; tempore autem Hippocratis, & luem gallicam & variolas vix sensibles fuisse; ita ut adhuc dubitem, an haec Divo Hippocrati nota fuerint, nec ne. Sicut enim lepram, elephantiasim rarissimum morbum hoc tempore dicere debemus, qui tamen priscis temporibus, ut patet ex sacris literis & Hipp. communisimus erat affectus; ea propter etiam autores vix hoc tempore de ejus cura solliciti esse solent; Idem dicendum erit de variolis, & lue venerea tempore Hippocratis; si enim tunc isti morbi, ut nunc saeviissent, vix credibile esse potest, ut solertissimus Hippocr. qui alias morbos tam accurata ratione descripsit, hunc principem & tam funestum morbum vix superficialiter tetigisset.

CXXI.

Experientia itaque docet, lepram, quæ quondam communissimus fuit morbus, hoc tempore ita deficere, ut vix ejus superfint vestigia. Item constat, quod lues venerea, quæ in sui exordio tam contagiosa, funesta & plerumque lethalis fuit, nunc potius cum incommodo, quam cum periculo sua decurrat tempora; nam primis illis temporibus quam citissime pervadebat, & corrumpebat omnia membra, quæ nunc genitalium sede contenta per modum gonorrhææ suum absolvit decursum; neque enim hoc tempore tam facile contingit, nisi præpostere tractetur, ut reliqua aggrediatur membra. Unde sperandum est, fore, ut brevi hoc malum, uti ante plura sæcula, fileat, aut saltem insensibiliter gliscat, quod jam dudum in votis & in auguriis erat expertissimi Astrucii.

CXXII.

CXXII.

Talia decrementa obseruantur pariter
in aliis, ex quibus vulgo dicimus, naturam
in suis operibus deficere; sic legimus Es-
dræ Lib. 4. C. 5. considera ergo & tu
quoniam minori statura estis præ bis, qui an-
te vos; & qui post vos; minori quam vos,
quasi jam senescentes creature,

Item Juvenalis, & Homerus 1. &
12. Iliade.

Nam genus hoc vivo jam decrescet
Homero,

Terra malos homines educat atque pu-
illos

Item Lucretius.

Item
Namque adeo fracta est ætas, æffæta-
que tellus,

Vix animalia parva creat, quæ cuncta
creavit.

Secla, deditque ferarum ingentia cor-
pora partu.

Item

Item ante Hippocratem, & medente illo, corpora tanto pollebant robore, ut illis non tantum integris & sanis, sed etiam ægris veratrum sine omni noxa propinaretur; ast jam Galleni tempore robur illud decrescebat, & Gallenus ipse textu 29. & sequentibus conqueritur, miraturque, veratrum ab Hippocrate febrentibus præstitutum fuisse, dicens: *nos vero neque integro homini dare audemus.*

CXXIII.

Hæc & similia plura non aliunde facilius quam a successiva seminis evolutione intelligi, & comprehendendi possunt; etenim aliqua eorum, uti jam superius diximus, cito, alia tardius, ordine a Creatore præstabilito evolvuntur; alia vero propter nimias & frequentes evolutiones decrescunt, aut plane jam desiderantur. Unde ratio reddi potest horum, quæ a medicis practicis in morbis contagiosis observantur; sic Sydenham observat, quod morbi epidemi-

demici contagiosi suis sub initiis soleant fure, tandem vero successive decrescere. Quod Plinius Lib. 7. C. 16. quam optimè expressissime videtur, dum ait: *in plenum autem cuncto mortalium generi minorem in dies fieri, propemodum observatur: varosque Patribus proceriores consumente ubertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergat ævum.*

Hoc experiuntur coloni in seminibus vegetabilium &c. vide §. CXXVI.

CXXVI.

Posuit enim adorable & omnipotens Numen, quemadmodum omnibus creaturis in earum mutationibus, ita vel maxime omnibus seminibus statas, & præstabilitas quasdam leges, ut aliqua earum longe citius, alia tardius evolvantur, & in actum deducantur, nam superius jam ostendimus, omnia semina tum animalium, cum vegetabilium, quæ hoc tempore evolvuntur, in primis illis jam seminibus a Deo creatis

con-

contenta fuisse. Ast quare hæc semina non jam ante mille & plures annos fuerint evoluta, aut quare non aliquot seculis tardius, vix alia, nisi quam nos adduximus, ratio reddi potest. Acutissimus Hartfækerus credit, quod seminum successiva extricatio, & evolutio ex primigeniis suis seminibus se habeat, ut fructus ex suis arboribus, quorum primo illi, qui matuiores sunt, decidere solent.

CXXV.

Ex supra dictis obseruationibus facilis etiam concipi potest, quare unum miasma contagiosum videatur sæpe in aliud degenerare, aut cum alio conjungi, aut per modum cujusdam antipathiæ alterius consortium abhorrere ; sic non una vice vidi, præsentibus variolis scabiem fugatam fuisse, aut dixero potius siluisse ; nam dissipatis variolis postliminio scabies rediit, & eadem pertinacia, ut prius, ægros affligere solebat.

CXXVI.

CXXVI.

Hoc ipsum experti ruricolæ in vegetabilibus, & animantibus observant, quod in sylva funditus excisa & deleta non amplius ejusdem speciei, ut prius, sed alterius vegetabilia propululent.

Item quod peregrina sive semina sive animalia in alienas terras allata successive degenerent, decrescant.

Pariter ex his ratio reddi potest, quomodo lues brutorum in homines, & vicissim, aliquando transfire dicatur, quod factum fuisse in ephem. Dec. 2. ann. 7. obs. 192. p. 363. item cent. VIII. obs. 44. p. 319. & alibi legimus. Exempla hæc credo oppido rara sunt, si tamen aliquando observantur, non erunt eadem specie seminia morbi contagiosi sed alia, & specie diversa, uti hoc superius jam insinuatum erat. Item facile concipere possumus, quare ipsa contagia videantur quasi a seipsis aliquando differre; sic obser-

vationibus constat, unam pestem alterius esse genii ab altera, & diversam medendi methodum requirere; etenim §. CXVI. jam diximus, in vegetabilibus inveniri diversas species subordinatas ad eandem speciem reducibles.

CXXVII.

Tandem patet ratio, quare non semper, dum tempesta humida pluviosa, & nebula-
fa dominatur, morbi contagiosi graffentur,
quia aër humidus non semper secum fert se-
mina verminosa, & quamvis diceremus,
quod semper talia secumferat; erunt tamen
ut plurimum talia, quæ machinæ humanæ
communia & familiaria sunt, ut hæc nullum
ex his detrimentum exspectandum habeat;
sic quotidie & quolibet vix non momento
temporis quam plurima muscarum, aliorum-
que insensibilium infectorum ovula cum
aëre esculentis & potulentis absque omni
sanitatis detimento deglutimus; item vi-
demus bruta myriades animalculorum &

ovulorum una cum diversis liquidis stagnantibus ex cloacis pariter sine sensibili sanitatis dispendio haurire. Clariss. Loewenh. in suis arcanis naturæ rationem hujus observationis fundat in eo, quod credat talia animalcula, & seminia non transire ad sanguinem; verum pace tanti viri dixerim, potius hoc contingere, quia talia ita familiaria & homogenea humoribus redduntur, ut corporibus tam facile nocere non valeant.

Hujus asserti ratio fundatur in aliis observationibus; sic notum est, Turcas, Persasque ad unam alteramve drachmam opii ferre posse, quod nostratisbus ad unum alterumve granum exitiale esse potest.

CXXVIII.

Ex quibus colligimus, quod seminia, quæ morbis contagiosis inducendis paria sunt, debeant esse quasi exotica & peregrina, nostrisque humoribus heterogenea & infesta; sive hæc ab externo ad-

veniant, sive in nostro corpore jam præ-existentia a certis causis evolvantur, & in actum deducantur.

CXXIX.

Ex antea dictis ultro colligimus, quare morbi contagiosi ad certum tantum gradum in illo, quod prehendunt, subiecto multiplicari soleant, quamvis in aliis fere fine fine multiplicari & propagari possint; sic videmus, variolas in illo, qui illis laborat, ad certum tantum numerum multiplicari, quamvis illæ in aliis subiectis ultro multiplicari possint. Cujus ratio ex jam dictis sumi potest, quod talia seminaria corpori, quod iis afficitur, jam familiaria reddi videantur; alias talis variolarum multiplicatio, & evolutio fine fine in eodem deberet succedere corpore.

Et hæc forte unica est ratio, quare is, qui semel variolis laborat, ab eis imposterum plerumque liber degere observetur.

CXXX.

Huc etiam potest referri illa notabilis observatio, qua constat, quod illi, qui lue celtica, aut Gonorrhæa sæpius laborarunt, quamvis per apposita remedia sanitati restituti esse videantur, tamen miasmatis venerei reliquias inscii in sinu suo foveant; quia si hi uxorem, de cuius pudicitia certo constat, ducant, contingit, ut uxor prædicto afficiatur contagio, sano persistente aliquamdiu marito, qui, dum eadem in se persentit incommoda, credit imaginaturque sibi violatam ab uxore fidem; uxor vero suæ conscientiæ causatur hujus nefandi criminis maritum. Ex quo dein tot jurgia, tot tricæ inter matrimonio junctos exurgere consueverunt; similia videri possunt apud Fonsecam, Mercurialem, Fernelium, item Rejes camp. elys. jucundarum quæst. 60.

Hoc

Hoc autem non nisi ex nostris principiis deduci & concipi potest ; quia talia miasmata venerea marito ita iam redditiva sunt homogenea & familiaria , ut sanitatem non laedant , quod ita se non habet respectu uxoris.

CXXXI.

Tandem quæstioni quartæ , quare nimurum materia contagiosa sit tam facile communicabilis , & multiplicabilis ? vide-
mur pariter ex jam dictis satisfecisse , dum ostendimus , hanc materiam ex suis semi-
niis evolvi , & multiplicari ac ultro pro-
pagari eadem ratione , qua vegetabilia
propagantur , & multiplicantur ; ostendi-
mus autem , in unico semine contineri in-
numerabilia alia evolubilia , atque omnia ,
quæ ad hæc usque tempora in rerum na-
tura extiterunt , in primigeniis illis semi-
nibus contenta fuisse ; quæ omnia per-
quam apposite nostræ quæstioni applicari
possunt .

CXXXII.

Nihil vero evidentius ex nostra sententia deducitur, & majore cum fundamento ostendi potest, quam causa, cur, & quomodo humores nostri corporis cætera sanissimi, si vel a minima alicujus contagii scintilla afficiuntur, extemplo infici, & conspurcari soleant; ut medici practici sæpe mirentur v. g. in variolis brevissimo tempore sanguinem fieri spissum, & lardaceum, qui paulo ante sat laudabilis esse videbatur. Si enim illa, quæ superius de aqua nuceriana corrupta & de aqua mari vecta & putrida reddita diximus §. LXXIII. in memoriam revoemus, ratio eorum, de quibus hic quæstio est, facile reddi poterit; sicut enim aqua nuceriana alias limpida & insipida, si putida fiat, nauseosa, fœtens & turbida evadit; idem dicendum est de humoribus nostri corporis putrescentibus; quia sicut prædicti effectus in aqua nucariana

riana putrescente ab innumerabilibus animalculis evolutis, eorumque ovulis & excrementis dependent; ita etiam admettere debemus, quod humores nostri corporis putrescentes a diversis animalculis evolutis, & ab his copiose depositis excrementis, & ovulis inficiantur, & conspurcentur, sicque propter hæc heterogenea ipsis immixta corpora inepti ad libram circulationem reddantur.

CXXXIII.

Hoc ipsum proh dolor! omnes medici practici in infantibus, vermis intestinalibus affectis quam evidentissime observant, & nobiscum fateri debent, quod illa febricula, quæ in talibus casibus miseris infantes depascitur, dependeat ab illici vermium excrementis ad intestina depositis, & magnam partem ad massam sanguineam delatis, quæ ibidem tanquam corpora heterogenea sanguini mixta; partim stimulo, partim minus proportionato suo vo-

lumine motus febriles excitant, & liberam humorum circulationem interturbant; talia heterogenea corpora a viribus vitæ, seu oscillationibus vasorum conquassantur, atteruntur, si fieri potest, digeruntur, coquuntur, ut per unam alteramve viam evacuari possint; illa vero, quæ in minimis vasis peripheriæ corporis subsistunt, sub specie diversarum efflorescentiarum, seu exanthematum, in conspectum veniunt, quæ exanthemata, cum nihil aliud sint, quam miasma, seu aliquod congestum verminosum, facile concipi potest, quare fint communicabilia, & multiplicabilia; & ut alias dici solent, contagiosa.

CXXXIV.

Hic posset difficilis, in qua non omnes convenient, proponi resolvenda quæstio, an nimirum putredo, & contagium sua seminia ab externo semper adipiscantur, an vero talia ipsis corporibus insint, & data occasione aliquando evolvantur?

CXXXV.

CXXXV.

Nostra hac super quæstione est opinio, talia seminia non semper advenire ab externo, sed ipsis corporibus inesse, & si requisitæ circumstantiæ adsint, sæpe evolvi & propagari. Hujus asserti ratio est primo: quia microscopia docent, quod fere in omni liquido, & solido, putrescentibus, alia quoad figuram, magnitudinem, partiumque constituentium diversitatem observentur animalcula; sic alia videntur esse in vino & aqua, & alia in aceto; item alia in maceratione piperis, quam in granis v. g. frumenti, aut alterius cujusque solidi vegetabilis. Idem dicendum est de aliis.

Item experientia constat, quod, si prædicta vegetabilia macerentur in aqua, longe plura, & diversa, quam in sola aqua, observentur animalcula, adeoque signum est, quod talia seminia verminosa jam cuilibet vegetabili infint.

CXXXVI.

Hic posset aliquis dubitare, qua ratione ipsis vegetabilibus insint? Nos respondemus, talia seminia verminosa fere eodem modo inesse ipsis vegetabilibus, uti superius diximus, illa inesse ipsis lacubus exsiccatis, quæ adveniente humido animantur, & multiplicantur, ut superius jam dictum est.

CXXXVII.

Ex quo fundamento jam ipse Doctissimus Buffonius indicavit omnibus vegetabilibus inesse quandam materiam animatam (*certaine matière animée*: cuius ulterior ratio desumitur ex experimentis CL. Woodwardi, aliorumque supra nominatorum Authorum; ex quibus constat, quod liquidum aqueum, dum ad putredinem disponitur, exhibeat aliquam materiam viridescentem, quæ ex illorum observationibus nil aliud est, quam congeries minimorum animalculorum, eorumque

que ovulorum ; & quod hæc materia viridescens inserviat pro nutrimento & augmento plantarum. Quapropter quilibet ex hoc unico experimento facile comprehendet, omnibus vegetabilibus inesse aliquam materiam animatam, a qua nutriuntur & augentur ; iisdem enim constare debent, quibus nutriuntur.

CXXXVIII.

Item experientia cuilibet est nota, quod materia putrida sive animalium, sive vegetabilium, tum pro nutritione, cum pro fructificatione vegetabilium plurimam conferat symbolam, quæ materia putrida, ut jam ostendimus, ferta est seminiis verminosis ; ex quo iterato constat, vegetabilibus talem materiam animatam inesse debere. Accedit, quod diversa vegetabilium producta, ut grana, chermes, cochiniliæ &c. nil aliud sint quam feminia verminosa. De his & similibus legere poteris B. L. Needam. p. 99. Rayum de hist.

hist. plantarum Lib. XXV. C. 6. de ilice.
Item Henricum Baker p. 81. 79. 90.
aliosque jam superius nominatos autores.

CXXXIX.

Item hoc ipsum de tuputa jam diximus. His, quæ de causa materiali contagii in corporibus jam latentis dicta sunt, possunt illi mirabiles effectus, qui a terrore aut forti imaginatione sæpe dependere observantur, adjungi. Similes observationes apud quam plurimos Authores legi possunt; ego ipse, a terrore & forti imaginatione variolas, aut alium affectum contagiosum exortum fuisse, sæpe observavi, sed ut alias observations, quæ quidem mihi, sed non aliis notæ sunt, præteream, unicam adducam.

CXL.

Casus, qui Excellentissimam piæ memoriæ Dominam Comitem de Millesimo, natam Comitem de Corschenski in flore juventutis non pridem hic Viennæ denatam,

tam, concernit, est longe majore admiratione dignus, quam quisque alias: Hæc Nobilissima Domina tanta vehementia & inopinata impegerat in canem, ut in terram prolaberetur; exinde terrefacta statim male valebat, dixitque se morituram, eo quod ante aliquot annos illi mors ex fortuito casu propter canem prædicta fuisset; quod etiam proh dolor evenit; nam corripiebatur febre maligna exanthematica, & mortua est. Si de his, similibusque caſibus ex jam datis de contagio regulis ratiocinari licet, hoc quidem facile evinci potest, quod causa materialis talis contagii in corpore jam lateat, sed qua ratione a terrore aut forti imaginatione in actum deducatur, majoris est momenti.

CXLI.

Si vis imaginationis versatur circa ali-
quod determinatum exanthema, ut graſ-
ſantibus variolis circa variolas; tempore
pestis circa pestem, & sic de aliis, tunc
faci-

facilius mirabilis ille effectus concipi poterit; quia tunc certum mentis sensum, seu certam ideam sequitur certus motus in nostro corpore & in spiritibus; ut hoc clare in nævis maternis appareat, adeoque prædictus motus dirigitur ad illa seminaria, de quibus est illa fortis idea & non ad alia; adeoque hæc commoventur, & in aëtum deducuntur; & non alia. Verum major est difficultas determinandi, quomodo hoc fiat, si imaginatio circa nullum simile exanthema versetur; ut sit a repentino lapsu, casu, magno strepitu, explosione inopinata tormentorum &c. si huic quæstioni responde-re debeamus, dicimus, quod in tali casu, illa seminaria, quæ evolutioni sunt magis propinquæ & vicina præ aliis com-moveantur & efflorescant.

CXLII.

Diximus enim superius, diversa seminaria corporibus jam inesse, quia alias ef-

esset inconceptibile, quomodo fiat, ut consanguinei multis milliaribus ab invicem distantes eodem tempore, & eodem afficiantur contagio. Casus similis funestus ante triginta circiter annos hic loci contigit, & Nobilissimam familiam Dominorum Comitum de Curland prehendit, & funditus proh dolor! delevit; nam quinque horum Nobilium adolescentum diversis in praediis multis leucis ab invicem dissitis commorantium eodem tempore, & eodem morbo, scarlatina maligna, infestabantur, & conficiebantur.

Similem casum legimus in Mangetti Bibliotheca practica de variolis; ubi frater Genevæ, soror vero ejus Hafniæ eodem tempore variolis laborabant.

CXLIII.

Ex quibus diversa possumus formare corollaria; v. g. notum est animalia maximam partem nutriri & augeri vegetabilibus, aliisque putridis aut ad putredi-

dinem dispositis; adeoque debere pariter
ipsis animalibus plurima inesse seminia ver-
minosa, iisdem enim constamus, quibus
nutrimur, quæ data occasione sobolesce-
re possint; quod patet si intime confide-
rantes animalcula feminis masculini, de-
super ruminemur, eorumque in originem
indagemus, debebimus necessario admit-
tere, vel quod talia producantur in nostro
corpore de novo, quod supradictis con-
trariatur; vel quod ex seminiis in nostro
corpore existentibus evolvantur. Qua-
propter mirari non debemus, corpora no-
stra ad putredinem ita esse prona & dispo-
sita; quod perspicacissimus ipse Boërha-
vius T. 11. operum chemicorum nobis-
cum sentire videtur, dicens: *omnis igitur*
materies corporea, quæ quondam constitue-
bat corpora animantium, quæ unquam exti-
terunt, in aërem rapta fuit; si cadavera ure-
rentur illico, si in campis detenta fuerint,
lentius, si sepeliebantur adhuc tardius, at-
ta-

tamen tandem eo exhalaverunt. Quid ergo
miri si & inde iterum pabulo antiquo con-
gener materia corporibus idonea alimenta
præbeat inde rursus nascituris.

CXLIV.

Ex quo colligimus hanc materiem putridam, & animatam transire ab uno corpore ad alia. Item colligimus talem materiam animatam ad putredinem disponitam ipsis corporibus jam inesse. Hoc clarius videmus in pleuritide, peripneumonia, aliisque similibus affectibus ad putredinem humores disponentibus, si enim in tali casu illud, quod restagnat non discutatur, aut per sputum evacuetur, tunc semper magis corrumpitur, & putrefit, tandemque ad massam sanguinis resorbetur, & ad peripheriam sub specie exanthematum propellitur, in quo casu, si copiose, & plenarie talis eruptio contingat, per modum metastasis a parte nobiliore ad mi-

nus nobilem, fit cum euphoria; secus vero succedit, si paulatim, diversis temporibus, alia semper recens fiat eruptio; tunc enim signum est a parte affecta, & suppurata talem materiem corruptam continuo decedere, & ad massam sanguineam, atque ad peripheriam deferri; ex quo per intervalla febris augetur, vires minuantur, morsque his laboribus succedit. Ex quo patet, quod hæc materia putrida, & animata in corpore generetur, & non aliunde adveniat. Hoc ipsum videmus sæpe in morbis calidis acutis, in quibus exanthemata evolvuntur. Hic unicam & notabilem in praxi medica observationem attingere debo; quod nimirum ex mox ante dictis pateat ratio; quare illi præ aliis in morbis acutis periculosius decumbant, diversisque exanthematibus obnoxii sint, qui diversa, multiplici, & pretiosa ciborum, dapiumque miscella utuntur.

Plura alia ex nostra de miasmate verminoso sententia deduci & exponi possent, quæ ne dissertatio in librum ex crescatur, missa facimus; quorum plura inferius de rubigine attigisse juvabit. Interim hoc nostros alleviat labores, quod ex his principiis diversa arcana naturæ alias imperscrutabilia, concipi, cognosci, & dilucidari possint; quorum plura posterior aperiet ætas.

CXLV.

Verum dices, quid ergo commodi, & emolumenti in Republica ex hac ita exaltata de contagio sententia exspectandum & sperandum est? Resp. multa exinde Reipublicæ commoda derivanda esse; nos ennumerabimus principaliora, minora quisque sibi imaginari poterit.

CXLVI.

Primum commodum, quod salutem generis humani concernit, aperte patet

ex tot jam captis observationibus, & experimentis, quibus videmus morbos contagiosos, & putridos optime & efficacissime a remediis anthelminticis cicurari & tolli, de quibus jam superius §. CV. dictum est; ex quo sperandum est fore, ut imposterum efficaciora, & certiora quam hucusque factum est, antidota adinveniantur, & approbentur, quæ ipsum miasma contagiosum immediate attingant, infringant, aut plane destruant. De qua indicatione proh! dolor in praxi medica hucusque altum semper est silentium. Tota enim nostra cura in morbis contagiosis versatur tantum circa symptomata, seu effectus, qui a prædicto miasmate contagioso dependent, derelicta plane intacta principe talium morborum causa. Sic si v. g. variolis laboranti, aut laboraturo mederi volumus, respicimus tantum illam, quæ adest, febrem, ingentes calores, & universalem quasi inflammationem, aliaque simi-

similia symptomata; ex quibus indicatio-
nes formantur, ut febris moderetur, ca-
lor temperetur, & inflammatio tam per
venæ sectiones, quam per copiosa & ap-
propriata diluentia discutiatur, interim
de miasmate variolofo omnes has turbas
excitante nulla fit mentio, aut indicatio.
A spina digito, aut alicui alteri parti in-
fixa, fit pariter dolor, rubor, ardor, &
inflammatio illius partis; in hoc casu nun-
quid tutissima & brevissima procederemus
via, si prædicta spina extrahatur, aut
destruatur, & iners reddatur; si vero in-
tacta, & infixa relicta spina, parti in-
flamatæ mederi vellemus, utique a sana
recederemus indicatione? Eodem fane mo-
do procedendum esset cum miasmate quo-
cunque contagioso, quod generi nervoso
& vasculofo infixum, & hærens prædi-
ctas in nostro corpore excitat turbas; de-
beret enim aut destrui, aut ad aliquem
locum pro ejusdem evacuatione, & ex-

pulsione determinari. Aut, si hoc fieri non possit, ejusdem evolutio, & multiplicatio impediri. In his deberemus primo, dein in illis, quæ symptomata respiciunt, esse intenti. Verum quam parum hac in parte ad hæc usque tempora profectum sit, quisque rerum medicarum peritus non ignorat; interim æterna memoria dignissimus Boërhavius in tractatu de variolis, quasi ad miasma verminosum respexisset, tale remedium specificum, quod miasma verminosum immediate attingeret, in principibus anthelminticis seu in antimonio & mercurio, quærendum esse judicavit, aliisque in hoc indagandi aperuit viam, cuius sapientissimi consilii ratio non nisi in illorum eximia virtute vermifuga, & vermicidia fundari, & conquiescere potest.

CXLVII.

Ex hoc exurgit secundum emolumen-tum in praxi medica bene notandum, &

ob-

observandum, quo docemur, quale quo-
ad frigus, & calorem regimen in morbis
acutis contagiosis tenendum. Nam qui-
dam practicorum solent similes ægros ni-
mio fere suffocare calore, sicque humo-
res inquilinos, & laudabiles exprimere,
& expellere. Alii vero nimis audacter
ægros libero exponunt aëri, sicque &
morbum, & periculum augent. Ex no-
stra vero sententia optima patet methodus,
quam in similibus casibus observare debea-
mus, etenim superius jam diximus, tam
vegetabilium quam animalculorum evolu-
tionem, & multiplicationem per diversos
caloris gradus augeri & minui posse. Sic
diximus non tantum sub æquatore, sed
etiam in nostris regionibus pluvias calidas
& flantibus austris cadentes esse vermi-
nosas, quales non sunt, si frigidæ, &
flantibus septemtrionalibus ventis decidunt.

Item experientia constat, pestem,
quæ urgentibus æstivis caloribus nimium

multiplicatur & propagatur, appropin-
quante hiberno frigore deficere aut plane
filere.

CXLVIII.

Unde ex his tria in praxi bene ob-
servanda deduci debent: Primum; quod
gradus caloris cubiculi, in quo æger fe-
bre acuta laborans, degit, debeat esse
grad. circiter 15. therm. Ram. seu gra-
duum therm. Fahrenheit. 65. aut 66. si
enim cubiculi calor excedat prædictos gra-
dus, disponuntur corpora ad majorem pu-
tredinem, adeoque ad majorem seminis
verminosi evolutionem.

CXLIX.

Secundum est, quod aër cubiculi,
in quo ægri febribus acutis laborantes de-
gunt, sæpius renovari debeat, alias aër
ipse putridus evadit; unde experientia
omnium physicorum constat, quod ani-
malia in aëre clauso nec sana nec diu in
vita conservari possint.

CL.

CL.

Tertium est, quod tales ægri nimiis stragulis non tegendi, aut per diversa re media calefacientia ad sudores adigendi, aut cogendi non sint, etenim experientia docet, hac ratione morbum pejorem, & exanthemata alias benigna, maligna reddi; quin imo homo sanissimus hac ratione morbum acutum inflammatorium, & exanthematicum contrahere potest.

CLI.

Memini funestissimi casus, qui 25. circiter ante annos ex hac præpostera methodo hic Viennæ contigit: nobilissimus Dominus de Porenstain inferioris Austriæ Regiminis consiliarius 30. circiter annos natus temperamenti melancholici, ad abigendos spasmos hypochondriacos, quibus sœpe affligebatur, ignoro an proprio, an alieno ex confilio, cætera sanus, se composuit ad lectum, ac triplo plus quam solito tectus, diversisque sudoriferis in usum

vocatis, nychthemeris spatio tantam sudorum expressit copiam, ut mox exinde delirare, furere, & febricitare inceperit, secunda post decubitum die primo petechiae, dein, purpura tam rubra, quam alba acceſſerunt; mox advocabatur ad ægrum Magnificentissimus piæ memorie de Carelli, dein Magnificus Dominus de Weber; ego vero diu noctuque ægro adſiti. Verum quamvis sat mature repetitæ sanguinis miffiones, copiosissima emulfa, diluentia, antiphlogistica, clysteres emollientes præſtituerentur, patiens tamen semper pejus habuit, & convulsus mortuus est.

CLII.

Ex quo multa corollaria deduci posſunt; potiſſimum vero inde eluſcitur, quod materia contagioſa exanthematica non ſemper ab extero communiceatur, ſed quod in noſtro corpore elaborari & tandem in actum deduci poſſit.

CLIII.

CLIII.

Item quod regimen calidum, a quo fluidiora, & tenuiora dissipantur, ad morbos calidos acutos inflammatorios disponat, & si tales morbi jam adsint, deterriores reddat; observante hoc, & multiplici experientia confirmante acutissimo Sydenham, qui toties & summa cum energia declamat contra regimen nimis calidum in acutis quondam usitatum. Talia legi possunt in aureis ejus operibus sect. I. c. 10. item sect. 11. cap. 11. sect. V. C. V. & VI. & alibi, sed præcipue in schedula monitoria de novæ febris ingressu. In his judicat morborum malignitatem sæpius a malo regimine, quam a morbi natura dependere dicens: *Quanto magis usu calefacientium actuantur particulae calidæ, & spirituosæ tanto magis intenditur ea, quam habent, assimilandi facultas.*

CLIV.

CLIV.

Hæc methodus illis vel maxime, qui aut Sthalianæ, aut Sylvianæ hypothesi addicti sunt, in usu esse solet; etenim credunt, miasmata maligna non nisi per sudores expellenda, aut per terrea absorbentia destruenda esse; in quem finem diversa remedia calida sale volatili prædicta, aut inertes terras, bolos, aliaque alexipharmacorum titulo insignita pharmaca, præstituere consueverunt.

CLV.

Tertium Reipublicæ commodum, quod ex nostra de contagio sententia resultat, concernit artem veterinariam; quæ brutorum morbis mederi docet. Sane satis mirari non valeo, quod talia, quæ non tantum Reipublicæ commoda, sed necessaria esse norunt omnes, passim stupidis, & indoctis veterinariis dirigenda committantur; qui neque anatomica neque animalem œconomiam, multo minus

mor-

morbos neverunt, quasi vero medicum, sive chyrurgum dedecret tractare similia, quorum ipsum magnum Hippocratem non puduit. Sic Hippocrat. dum de luxatione agit, non tantum illas, quæ homines, sed etiam tales, quæ boves attingunt, pertractat. Item dum de internis affectiōnibus & proprie de aqua inter cutem tractat; ab his, quæ cultro anatomico in brutis fieri observavit, probat talia in homine quoque contingere debere; textus est tanta veneratione dignus, ut hic omitti non possit: unde N. 25. ait: *quod autem fiat etiam a tuberculo, aqua inter cutem testimonium habeo in bove, & in cane, & in sue: in his enim quadrupedibus maxime sunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent, si enim diffūceris, citissime cognoveris; fluet enim aqua. Videntur autem talia multo magis in homine fieri quam in pecoribus, quanto etiam morbosiore diēta utimur &c.*

Item

Item Lib. 6. de morbo sacro constat ab illo oves morbo comitali denatas dissectas, & apertas fuisse, ut causas, & sedem morbi eo melius noscere posset. Nihil dicam hic de Homero, de Virgilio, qui 2. Georg. lib. 3. item de Plinio, qui lib. 31. cap. 2. aliisque recentioribus, celeberrimis viris, qui de morbis brutorum tractarunt. Unde ut similibus morbis melius obviam eamus, optimum fore judico, si quidam in arte experti Medici & Chyrurgi constituantur, qui anispcionam brutorum ex contagio denatorum ipsi assumant, & rite examinent; ad hoc ut morbo magis congrua remedia applicari possint.

CLVI.

Nullus est morbus, qui majorem in armentis stragem agat, & ex quo Respublica plus detrimenti persentiat, quam ex contagio a triginta fere jam annis perdurante, videmus enim & lugemus diram

ta-

talem luem armenta occupantem totam pervagare, & circumire Europam. Hunc in finem quam plurima tam prophylactica, quam curativa venditantur remedia; verum ad hæc usque tempora tam parum hac in parte profectum est, ut celeberrimus Lancisius in suo eruditissimo tractatu de bovilla peste credat, omnia, quæ nobis patent remedia plus detrimenti, quam emolumenti attulisse bobus.

CLVII.

Si vero ad illa, quæ nos de contagio in genere diximus, serio reflectamus, sperandum est, fore ut remedia tam prophylactica, quam curativa, quæ magis quam hucusque votis respondeant, adinveniantur. Etenim si omnia, quæ tam in lue contagiosa affectis, quam quæ in exinde denatis observantur rite, magna cum attentione examinentur, videbimus, & fateri debebimus, causam talis luis contagiosæ esse materiam animatam, seu putridum

dum miasma verminosum; ne vero hæc,
quæ statuo dicta, & asserta tantum, sed
etiam probata videantur, adducam talia,
quæ in similibus casibus videre est.

CLVIII.

Ex antispicina boum contagiosa iue
affectorum, & denatorum observamus oris
fauciumque ulcuscula, quæ usque ad ven-
triculum & pulmones se extendunt; hæc
ulcuscula si armato oculo examinentur sunt
plena vermiculis; qui dein alias etiam tam
solidas quam fluidas partes occupant, &
se multiplicando totam fluidorum massam
inquinant, & conspurcant, eodem nimirum
modo, uti de aqua purissima, & limpi-
dissima nuceriana aëri exposita superius di-
ximus; hanc brevi fieri turbidam, fœ-
tidam, & innumerabilibus animalculis
fœtam.

Hoc ostendit Rodius cent. 3. obs. 61.
& 62. nimirum in bobus ex contagio de-
natis non tantum fluida, sed etiam solida

sca-

tere innumerabilibus vermiculis armato oculo visibilibus. Idem afferit Godefridus Bidloo, in ovino, aliorumque animantium sanguine dari animalcula, quæ multorum sunt morborum causæ.

CLIX.

Bernardinus Bono, Medicus Brixien-fis in literis ad clariss. Valisnieri 1713. datis nostram opinionem confirmat, dicisque, se semper in sanguine contagio affectorum boum quam plurima vidisse animalcula; quod dein ipse nunquam satis laudandus D. Valisnieri in constitutione epidemica, & ut dicit, verminosa, quæ anno 1711. non tantum Ducatum Mantuanum sed etiam ditiones Venetas vexabat, a se constanter observatum fuisse, ait. Verminosum hoc malum solet alias vocari il mal del Formone, quod malidis nomine donari solet. In hoc malo quam plurimi vermiculi videntur occupare præ aliis partibus ipsum ventriculum,

Tom. I.

K

quem

quem rodunt, inflammant, ac tandem sphacelo afficiunt.

CLX.

Ejusdem fere generis sunt illæ observationes & relationes ex Germania ad eundem Celeb. Virum missæ, ex quibus constat pecora lethali contagio laborasse, cuius causa cum omnes lateret, sic omnia adhibita remedia huic malo tollendo imparia fuere, donec detectum fuerit, quod intra unguis bifidas se insinuent certi vermiculi, qui ibidem nidificando se massæ sanguineæ communicant, eandem inficiunt & destruunt; hoc malum dein, si mature opem ferebant, facile scarificationibus, ferro & igne tollebant. Huic consonant illa, quæ §. LXXIV. diximus. Unde patet, quod certa semi-nia verminosa unam potius partem præ altera occupent, ibidem soboleſcant, & tandem totam machinam destruant. Hoc enim contingere solet ambulantibus pedibus nudis per arenas siccas in Indiis; solent

solent ibidem certi vermiculi se infinare plantis pedum, qui nisi mature abigantur, crudelissimam inferunt mortem. Hæc & similia exempla in calidissimis provinciis rara non sunt; nam in Africa, & aliis sub Zona torrida regionibus talia quotidie videntur. Huc etiam referri potest observatio de Dracunculis, qui in putridis, & cœnosiis Guinææ littoribus, aliisque Æthiopiæ plagis, multos afficiunt, & interimunt; hi enim inter crurum musculos sedem figere solent, & ni tempestive, & caute apto instrumento, verticillo, simili eorum, quibus fides intenduntur, auferantur, ægris magnum dolorem afferunt & periculum.

CLXI.

Ast quare aliunde similia petimus exempla? utique in Germania nobis noti sunt comedones, crinones, firones, a Sennerto drachunculi vocati; qui suis excrementis massam sanguineam inficiendo

miseros infantes exhauriunt, febrem certam inducendo tandem morasmo conficiunt. **Talia** in pluribus probatissimis autoribus legi possunt, sed præcipuæ in eruditissimo tractatu de vena medinensi, seu de draconculis veterum a Clariss. Velschio edito.

Prætereo alias quam plurimas obseruationes Dominorum Cogrossi & Grofii, aliorumque expertissimorum virorum, qui in diversis brutis contagio affectis & denatis, semper & constanter talia seminia verminosa armatis oculis conspexerunt, unde ab his talia Eruditissimus D. Horatius Burgundius edoctus, composuit hoc in genere carmen elegantissimum, quod, five styli elegantiam, five Poëseos amœnitatem species, Virgilianis haud cedit; quare credo, neminem tœdebit hoc legisse:

CLXII.

*Te quoque nunc canere docilis mansueta
repando*

sub-

*Subdere colla jugo, ac stridentia volvere
plaustra*

*Turba potens, facilisque putres in-
vertere glebas.*

*Verum heu! dira tuos pestis popula-
penates*

*Excidium infandum miséris præsepibus
infert.*

*Italiæ, vallesque cavæ, collesque supini
Insonuere olim crebris mugitibus, at
nunc*

*Italiæ, vallesque cavæ, collesque supini
Conticuere, antris flet muta silentibus echo.
Cur tam fœda lues? stabulis cur serpe-
re totis*

*Concessum? & curnam solis inimica ju-
vencis?*

*Talia jactanti species pulcherrima Redi
Affuit ante oculos, Redi quem dexter
Apollo*

*Et mutas agitare artes, & dulcis E-
trusca*

Pectere fila lyræ docuit, causasque repositas

Venari, & cedro dignis committere chartis.

Non tamen agnoui vultum, cum se mihi longæ

Solamen, comitemque viæ dedit arva petenti

Tiburis urbanis dentem apta retundere curis.

Alloquio sed iter dulci dum fallimus,
ecce

Taurus Agenoreæ pulchro vectore puellæ
Pulchrior ante pedes amborum rura pro-

pinqua
Constitit aversatus, & ora madentia

guttis
Grandibus attollens, visus miracula no-

tæ
Implorare manus, singultibus ilia duxit.

Tum vero: quid me lacrymis moriture
fatigas?

Redi

Redi ait; humanis si vos Deus usibus
aufert

Ulturus vestro sceleratas funere terras,
Quippe ubi nulla fides superum, bella, im-
pia bella

Aeternis pugnata odiis, satis horrida nul-
lo

Sanguine victa jacet, quamvis Astraea
gradivo.

Et simul hæc, simul educit specularia,
parvis

Immodicam rebus conferre valentia mo-
lem.

Me nescire diu non passa dioptrica vi-
trum:

Ergo libens oculos admovi, pustula nu-
dis

In via luminibus visurus si qua juvenci
De cute prostaret manifesti causa doloris.

Densata borresco referens, per colla, per
armos

Insectorum aciem, lustro fædisque choræis

Putrida ludentes circa convivia vermes.
Quam multæ, avulsum si caurus ab ar-
bore pomum
Decussit, plenis cum ridet mitis in arvis
Autumnus, circum densantur: & agmi-
ne longo
Formicæ piceis infixæ dentibus hærent.
Deficiente vitro ne quidquam adnitor in-
ermi
Usurpare oculo tenuissima corpora, nam-
que
Mole sub exigua latitant, sensusque retusos
Vincunt, atque sui vestigia nulla relin-
quunt.
Tum sic me comes alloquitur. Tibi mu-
nere nostro.
Sævi permisum causas cognoscere morbi.
Scilicet ut pereunt vitiata teredine ligna,
Intereunt cariem postquam duxere juvenci;
Quæ simul ac cæcis furtim insinuata me-
dullis
Fibrarum nexus occulto dente resolvit,
Non

*Non montes, non prata juvant pinguis-
fima læto*

*Gramine, non puris argentea flumina
lymphis.*

*Tabentes nequidquam herbas incusat
arator,*

*Virofas nequidquam auras, ventosque
nocentes,*

*Fluminaque incertis nequidquam infecta
venenis.*

*Quid quod scire licet, quare contagia
totis*

*Graffentur campis. Nempe irrequieta
pererrat*

*Omnes turba locos, atque ova excludit
ubique*

*In diram fæcunda luem, fraternaque
mortem*

*Idcirco miséris pariunt commercia tau-
ris.*

*Ipsa juga, atque ipsum vermes contra-
xit aratrum,*

Cunctaque lethifero scatuit vicinia tabo.
Vestibus imbibitum virus quin ipse co-
lonus.

Inscius ad terras longinquas sole calentes
Detulit, atque gregem mortalibus inficit
ovis.

Prima medela malo est flammis abole-
re relicta

Germina serpentis morbi, comburere ca-
ras

Agricolæ vestes, inopisque senilia tecti.
Pignora ne pigeat: tremulæ præsepia
flammæ

Delabant atque omne domus vitium ex-
coqua tignis.

Sulphuris ingrato quandoque abigentur
odore

Hostes, nitrati lentoque volumine fumi;
Proderit, & pingui perfundere corpus
amurca,

Vel grave morbosis hydrargiron indere
fibris:

Nam

Nam veluti incavatas volucres viscum al-
ligat, omnem
Exiguis adimunt insectis pinguia motum,
Infirmosque ligant artus, angusta que-
replent
Ostia nervorum, vitalis & aëris
baustum
Impedient patulis intrusa meatibus:
Inde
Insecta affuso passim moriuntur olivo.
Denique cur solos perimat vis noxia
tauros
Nam liquet. Ut tellus eadem non omni-
bus aequo
Seminibus gremio foret opportuna fo-
vendis,
Quod rapidi soles aliis nocuere, nivosus
Ægoceros aliis, & pigræ tempora
brumæ
Vel saturæ salibus, viduæ vel sulphure
glebæ.

Sic

Sic insecta locis posuere cubilia certis.

Nec propriat mutare datur sine funere
fædes;

Seu peregrinæ illis epulæ tenuissima
vitæ

Flamina ruperunt, seu certum semina
poscunt

Fermentum lactanda, aditum nimis ar-
cta malignum

Seu vetuit textura cutis, seu ponere
nidos

Discors mobilium impedit compago
fibrarum,

Seu causæ id prohibent aliæ; experien-
tia fidis

Edocet indicis, magnarum grandibus
bærent,

Quæ pecudum membris insecta minuta
vagantes

In pellem transferre alienam haud posse
penates

*Ac ne forte putas me somnia vana lo-
cutum,*

*Consule quotquot habent vivos animalia
vermes*

*Inter se numero membrorum, mole,
figura*

Difformes videoas omnes interprete vitro.

Unde inferre licet certis matricibus ova

Committi certis insectis apta creandis:

Ni fiat, rupto non nasci carcere gentem

*Ergo quid in solos pestem hanc sœvire
juvencos*

*Magnanimum nec equum lædi, mollem-
ve capellam*

Miraris? pereunt inimicis credita poris.

*Ova, nec obsceni possunt sobolescere
pulli,*

*Cen fructum patriis arbor negat exul
ab arvis.*

*Sic ait, Et Redi mentem, vultusque
decoros*

Confessa in cælum se læta recepit imago.

CLXIII.

CLXIII.

Si itaque in curatione talium morborum ad animatam seu verminosam reflectamus causam, nullus dubito, quin in appropriatis anthelminticis, antidota, quæ hucusque nos latuere, adinveniantur, & quæ captis & repetitis experimentis responderint, approbentur.

CLXIV.

Ego absque jactantia aperiam, quæ in moderna lue, armenta depascente, pro scopo tam prophylactico, quam curativo aliquoties proficuum expertus sum. Tale remedium constabat ex mercurii dulcis dragma una, myrrhæ electæ, & camphoræ aa dragma dimidia. Propinabatur infectis bobus quotidie, aut singulis alternis diebus, quin imo si opus sit, binæ tales doses nychthemeri spatio, donec nimicum ex hoc remedio saliva tenax, viscida, & copiosa tam ex faucibus quam ex naribus profluere incipiat. Infundendo

illis

illis sœpe de die , si ipsi haurire nolint , sufficientem quantitatem aquæ cum hordei farina mixtæ , & coctæ ; ad hoc ut tam pro nutrimento , & alimento , quam pro prædicta levi salivatione adjuvanda & moderanda sufficiat .

Si vero ut prophylacticum hoc remedium in usum vocare volumus , sufficiet si bis in hebdomada fanis propinetur bobus ; unde pariter levissimus succedet salivæ profluxus ; ast ita salutaris , ut tales boves impune cum infectis degere valeant . Hæc ut candide fatear , quæ hucusque observaveram , ita spero fore , ut in posterum sive a me sive ab aliis plura , & rem magis firmantia capiantur experienta , quæ omnia certe non aliunde , quam ex nostris jam datis de contagio principiis peti possunt . Hoc quidem verum est , quod mercurius in substantia exhibitus pro plebe magnarum effet expensarum ; unde huic substitui posset aqua de-
coctio

coctionis mercurii, cuius virtus vermicidia, & vermifuga omnibus practicis per quam nota est, & non nisi lignorum pro decoctione pretium exigit.

CLXV.

Unde ex his resultant, & deducuntur pariter illa experimenta de inoculatione & infitione morborum contagiosorum in brutis, quæ annis superioribus in Hollandia, & Anglia capta sunt. Cum enim experientia toties repetita doceat variolas, quin imo & morbillos secundum artem infisionis, & inoculationis in hominibus excitatos vix non semper esse benignos, talesque ægros in posterum inter alios variolantes impune versari posse, eadem hæc experimenta grassante contagione inter boves, & armenta institui magno cum fructu ceperunt in iisdem. Multiplex autem erat methodus, qua infitio, & inoculatio in brutis institui solebat; & hæc erat potissima

ma ratio, quare non omnibus ad vota
cesserit.

CLXVI.

Optima videtur fuisse methodus, quam
expertissimus D. Schwenke Anatom. &
Chyrurgiæ Hagæ Comitum Professor di-
gnissimus in epistola fasciculo mensis Octo-
bris inserta affert & describit. Hac enim
pecora, in quibus inoculatio morbi con-
tagiosi prædicta ratione instituebatur, non
tantum sanitati restituebantur, sed & im-
pune, & absque periculo inter alia ar-
menta, eodem contagio affecta, conversari,
& commorari poterant. Vide commen-
taria de rebus in scientia naturali, & me-
dicina gestis; sed præcipue volum. V. part.

III. p. 452.

Ast ista operatio ex nullo alio prin-
cipio, quam ex nostra tantum sententia con-
cipi, & explicari potest; nam sicut jam
superius ostendimus, quod nec infusio,
nec inoculatio in vegetabilibus sine semi-

nio fieri possit ; quia omnibus plantæ partibus feminia primigenia insunt , & semina non nisi ex aliis feminibus evolvi possunt ; alias deberent dici fortuito aliquo motu producta de novo , ita etiam in morborum contagiosorum inoculatione debent dari eorum seminia , quorum unum ex altero evolvatur , & multiplicetur . Similitudo , & analogia inter unam & alteram infisionem aut inoculationem tanta est , ut non nisi similes debeat pariter intercedere causæ .

Quare vides benevole Lector ex nostra de contagio sententia non tantum morbos contagiosos , qui hominum , sed etiam , qui brutorum genus affligere solent , facilius & planius quam ex ulla alia opinione concipi & exponi posse ; quin imo nec in his subsistimus , sed plantarum quoque diversos morbos exinde deducere debemus . Inter vegetabilium autem morbos est sane princeps eorum rubigo ; a qua dein non

tan-

tantum homines, sed & bruta plurimos,
& gravissimos sibi adsciscere solent morbos.
Quare materiei gravitas exigit, ut intimi-
us in essentiam & naturam rubiginis, quam
hucusque factum est, inquiramus. Un-
de sit

SECTIO TERTIA.

De

Rubigine, ejusque causis & effectibus.

CLXVII.

Rubigalis morbus majoris est quam
vulgo creditur in Republica momenti,
nam non tantum vegetabilibus, sed & vi-
ventibus ipsis summe perniciosus, & exi-
tialis esse deprehenditur; etenim fructus
horraeos, olera omnia, frumenta & legu-
mina inficere, jam fusco, jam rubro, jam

L 2 nigro

nigro colore notare solet. Viventibus ipsis, quæ talia in cibum assumunt, exi-
tiales morbos, & contagiosos inducere
confuevit; quod a paucis notatum, ve-
rum experientia proh dolor! quam sæpi-
sime probatum est. Unde ex hoc fun-
damento veteres sicut floralia, ita etiam
rubigalia festa quotannis instituebant, &
celebrabant; quia sicut uberem, & opu-
lentam messem a superis, ita etiam anno-
nam, aut fructuum corruptelam ab iisdem
hujus messis hostibus dependere suo tem-
pore crediderunt; talia festa referente Pli-
nio Lib. 18. cap. 29. a Numa Pompilio
anno regni XI. instituta fuere. In hujus-
modi sacrificio mactabatur lactens catulus,
& Rubigini Numini offerebatur. Unde
Columella:

*Hinc mala rubigo virides ne torreat
herbas*

*Sanguine lactantis catuli placatur, &
exitis.*

CLXVIII.

CLXVIII.

Per rubiginem non intelligimus hic illam rubiginis speciem, quæ puberibus plantis a gelu accidere solet, & carbunculatio, aut uredo alias vocari solet; rubiginem hic illam attingimus, nobisque trutinandam proponimus, quæ ab aliis dependet causis, & vegetabilia fusco, aut rubro aut nigro colore afficit. Iste solet omnium fere frugum pessimus audire morbus, qui eorum pestis vocari potest; unde contingit, ut, si talia vegetabilia in escam assumantur, vescentibus exitiosa, & morbosa evadant.

CLXIX.

Ast rubiginis natura tam profundis obvolvitur tenebris, ut ad hanc usque diem non parum torserit magna naturæ scrutatorum ingenia, plerique enim in eo conveniunt; hanc a vitiato rore dependere; verum in quo illud roris vitium consistat, maxime inter se differunt. Aliqui

hoc roris vitium sali acri alcalino, alii sali acido stygio in acceptis referunt; analogismum ducentes ex morbis contagiosis, & malignis, qui viventia invadere solent; sicut enim tales morbos ab acido, aut alcalino miasmate derivant, ita etiam morbos vegetabilium iisdem causis attribuunt. In confirmationem hujus asserti nunc sale aliquo alcalino-acrifixo, aut volatili, nunc aquis stygiis vitrioli, nitri, viridia vegetantium folia confpergunt, sperantes fore, ut exinde illæ rubiginis maculæ in conspectum veniant; ast falluntur, & effectus illorum non respondet votis; nam saepius hac ratione repetimus experimentum, sed non nisi quandam exinde foliorum, & fibrillarum corrugationem, & opacitatem observavimus.

His accedunt multa alia argumenta superius de contagio contra hanc sententiam allata, quæ hic adduci possunt.

CLXX.

Clariss. Lœwenh. agnovit difficultatem in tali rubiginis explanatione, unde in epistola 109. data ad Dominum van Leeuwen negavit rubiginem a rore vitia-to dependere; adeoque afferuit rubiginem fieri, si tubuli, vascula, utriculi plantæ obstruantur, aut rumpantur ab aliqua ex-terna violentia; unde fit ut succi ibidem restagnent, & subsistant, sicque talem rubiginem, quasi fugillationem repræsen-tent; causa vero talis externa esse potest violentia venti, imbrium, grandinum &c.

CLXXI.

Sed contra est primo. Nam ego da-ta opera in diversis vegetabilibus, sed præ-cipue in segetibus, dum ad debitam alti-tudinem jam excrescerent, institui ex-pe-rimentum, quod quisque quolibet potest repe-tere anno, huic plausibili sententiæ con-trarium; diversa enim vegetabilium

folia corrugavi, ramusculos inflexi, filis
constrinxi, segetum culmos pariter infle-
xi, aut bacillis pulsavi, denique omnia
institui, ut aliquam vasculorum, utricu-
lorum, aut tubolorum seriem comprime-
rem, oppillarem, aut destruerem, uti
alias a vento aut grandine fieri solet, vi-
furis, quid inde cum tempore in talibus
vegetabilibus observandum supereffet; sed
ecce nullibi veram rubiginem videre fuit;
nam prædictæ partes vegetabilium, quæ
aliquam violentiam passæ erant, vel fe ad
naturalem statum reducebant, vel ad instar
marasmi siçabantur, & contabescabant.

CLXXII.

Secundo experientia constat, quod
vegetabilia rubigine affecta in specie autem
frumentum, si in escam assumantur, sa-
nitati plurimum noceant, ut dein pate-
bit, quod ab illis vegetabilibus, quæ ab
imbribus, ventis, aut grandine detrimen-
tum aliquod passa sunt, exspectandum,
silo; aut

aut metuendum non est, nam fere cuilibet notum est, non tantum olera, cerasa, uvas, sed etiam poma, pyra, aliaque a grandinibus læsa impune edi, & ab omnibus sine sanitatis læsione in usum vocari posse; adeoque ex hoc evidenter deducimus, aliam esse rubiginis naturam, quam quæ ab eruditissimo Authore assignatur.

CLXXIII.

Interim negare non possumus a prædictis causis in vegetabilibus fieri quasdam eorum læsiones, suggillationes, uti hoc magno cum agricolarum damno a grandinibus in uvis, pyris, pomis aliisque quotannis contingere solet. Idem fit a gelu incongruo tempore puberibus vegetabilibus superveniente; sed omnia hæc veram rubiginem, de qua hic est quæstio, non causantur; nam hæc solet vegetabilibus ut plurimum temperata, & serena plus minus calida tempestate, aut decidentibus pluviosis cœlo fere existente sereno, super-

venire; uti hoc in Austria evenit ann.
1751. Item 1759. die 31. Martii, &
3^{ta} Junii die Dominica Pentecostes; nam
cœlo fere existente sereno pluviaæ magnam
obtinuerant diei partem; ex quo dein anno
1757. factum erat, vt vix non omnia
vegetabilia rubiginosa evaferint; anno ve-
ro 1759. tritico magnum exinde damnum
allatum fuerit.

Quare, si omnia hæc, & illa, de
quibus deinde dicemus, rite consideren-
tur, judicamus rubiginem, de qua hic
est quæstio, a certo seminio verminoso de-
pendere, quo vegetabilia consperguntur,
& afficiuntur, in quibus dein fit ulterior
seminii evolutio & multiplicatio.

CLXXIV.

Ex quo concipere possumus, quod
rubigo diversimode advenire, & propa-
gari possit; advenire enim potest a certis,
& præcipue australibus flantibus ventis,
a pluviis cœlo præcipue sereno cadentibus,

&

& similia seminia in se continentibus; tandem ab ipso rore vitiato, seu similibus semi- niis foeto, & vegetabilia inspergente. Propagari autem, & multiplicari potest ul- tro per somitem, seu per sobolem; nam experientia docet, quod ex tritico rubigo- noso sato, pariter triticum rubiginosum producatur.

CLXXV.

Ne vero hæc omnia perperam asserta videantur, probari possunt partim ex il- lis, quæ nos superius de contagio dixi- mus, partim aliis rationibus, ut dein patebit; diximus superius, & ostendimus, quod a plantibus austris, a pluviis calidis præsertim sub æquatore cadentibus, in- numerabilia seminia verminosa afferan- tur. Eruditiss. Boërhav. Oper. Che- micor. de aëre asserit: *quam doleant agri- colæ, dum tepente vere venti quidam in- credibili celeritate arbores inficiunt numero*

carentibus vermiculis. Item hoc tempore ab omnibus Physicis jam receptum & definitum est, pluvias sanguineas a certis dependere animalculis.

CLXXVI.

Quod vero alias concernit rationes principes sunt sequentes, & quidem prima: illa, quæ rubigine afficiuntur, vindentur evidentissime putrida esse, & ad putredinem reduci debere, adeoque ut ante probavimus putredinem ab evoluzione certi seminis verminosí dependere, idem dicendum erit de rubigine. Ego examinavi inter reliqua vegetabilia triticum rubiginosum, quod quisque tempore messis facere potest; in illius granis deprehendi intolerabilem ad instar carnis putridissimæ fœtorem; si hæc grana contusa, & cum aqua recenti mixta microscopio examinentur, exhibent innumerabilem verminosam progeniem.

CLXXVII.

CLXXVII.

Si tale triticum, quamvis omni pos-
sibili industria a granis rubiginosis sepa-
ratum, seratur, tunc triticum de novo pro-
ductum, seu evolutum magna sui parte
rubiginosum fieri solet, quamvis nulla sen-
sibilis causa externa, a qua talis rubigo
dependeat, accedat; cuius experimenti
ratio alia esse non potest, nisi quod seminia
verminosa tritici rubiginosi granis integris
& sanis communicentur, iisdem adhaereant,
sicque in germinatione una evolvantur.

CLXXVIII.

Quare coloni, ut hoc avertant, di-
versa experiri solent, aliqui enim triti-
cum ferendum aqua calcis & salis, alio-
que acri liquido abluunt. Dominus Bra-
dley judicat optimum fore, si talia semi-
na per 30. horas macerentur in muria
aluminis, dein laventur aqua recenti, sic-
que seminentur. Vide T. Needham nou-
velles decouvertes microscop.

Ve-

Verum optima methodus, quæ ab expertis agricolis observatur, consistit in eo, ut semina ferenda peregrina, & non rubiginosa assumantur; sic enim, si nulla superveniat causa externa rubiginem inducens, purissimum frumentum adipisciuntur.

CLXXIX.

Ego optarem mihi copiam experiundi aquam ex decoctione mercuriali, si nimirum semina ferenda nychthemeri spatio in eadem macerentur; cum enim experientia constet, prædictam decoctionem esse summum anthelminticum, sperarem fore, ut in hoc casu pariter eandem exercitat virtutem.

CLXXX.

Alterum fundamentum nostri asserti est, quod, si aqua, alioque humore putrido recentia vegetabilium folia conspergantur, rubiginosam exhibeant faciem,
qua-

qualis non observatur, sive liquore acri
acido, sive alcalino experiaris.

CLXXXI.

Tertium fundamentum est ruri obvia
observatio, quod regnante rubigine apes
non uti alias mellificare, sed magnam par-
tem emori, aut alio transmigrare soleant;
cicadæ taciturnæ, & transfugæ fiant; quia
succis vegetabilium corruptis, & putridis
vesci recusant. Unde observat Mer-
curialis 1577. cicadas rarissimas, & taci-
turnas, & gravissimam subsecutam in ho-
minibus epidemiam; nam si corruptis ve-
scimur vegetabilibus, mirum non est, si
humores nostri pariter corrumpantur, &
ad diversos morbos contagiosos corpora
disponant; quod a multis practicis obser-
vatum, & annotatum legimus, ut in act.
erud. Lips. anni 1718. p. 314. *Rubigo*
facit, ut fructus vermibus scateant, erucæ,
& alia insecta exuberent morbi perniciosi con-
tagiosi, quin imo pestilentiales exurgant.

Eun-

Eundem exprimit sensum textus S. Scripturæ: sic Amos cap. 4. *percussi vos in vento urente, & in auragine.*

CLXXXII.

Similem funestam & morbosam constitutionem experti sumus declinante anno 1757. verum præcipue ineunte 1758. malum hoc epidemicum, contagiosum, & maximam partem petechiale non tantum ditiones austriacas, sed multas quoque alias, & disstas occupabat regiones; & toto hyemali tempore non tantum agricultores sed & speciatim illos, qui militiae dederant nomen, aggrediebatur, & depopulabatur.

CLXXXIII.

Interim notandum, duplarem fuisse morbum, qui anno 1758. præ aliis affectionibus per hyemem epidemice grassabatur: aderat morbus, qui sub sui initium rigoribus, & horripilationibus continuis, passim tussi, coriza, deglutitione laboriosa,

theu-

rheumaticis artuum & laterum doloribus, vexabat ægros. Qui merito ad affectus rheumaticos reduci & a vicissitudine temporum derivari debet. Quales morbi, si rite tractentur, & inflammatio absit, periculo carent, neque enim quisquam ex plurimis, quos in hoc morbo tractandos habui, desideratus est.

CLXXXIV.

Verum aliis, & ulterioris indaginis, epidemicus & contagiosus graffabatur morbus, qui etiam in arte peritis aliquando imponere solet, de quo nuper Expertissimus Dominus Hasenöhrl nosocomii Hispanici medicus eruditissime tractavit. Etenim iste pariter morbus horripilationes, tussim, corrizam, secumferebat, pulsus erat saltem primis diebus naturali similis, nulla sitis, lingua saltem sub initium humida; aderant pariter rheumatici artuum dolores, affectum vere rheumaticum æmulantes; distinguebatur tamen ab illo, quod

adfuerit summa virium prostratio, dicebant enim ægri se quasi fustibus dolatos esse; vexabant præterea plerumque intolerabiles dolores capitis cum quodam sopore, stupore, & agrypnia; quæ semper augebantur; tandem delirabant ægri, siebant inquieti, respiratio erat laboriosa, & cum suspiriis, his plerumque quarta die, aliquando tardius supervenire exanthemata petechialia. Hoc singulare fuit observandum hoc anno, quod alias rarum, exanthemata enim frequentissima extremitates artuum occupare, & usque ad apices digitorum se extendere solebant.

Quamvis pulsus non fuerit, ut alias in inflammationibus esse consuevit valde celer, fortis & durus, sanguis tamen e vena missus fuit valde spissus & lardaceus. Urina vero erat maximam partem naturali similis. Causam hujus epidemici & contagiosi mali medici alias deducere solent ex castris, & ex prægressis tot præliis,

liis, ubi quam plurima cadavera infepulta suo putrore, & fœtore inficere solent aëra. Item ex continuis excubiiis, laboribus, quos præter morem diu, noctuque in seram usque hiemem inclemenciam aëris expositi perferre coguntur milites; unde vires atteruntur, perspiratio impeditur, sive corpora ad putredinem, & ad morbos disponuntur.

CLXXXV.

Evidenter ego non inficiar, quemadmodum multæ observationes docent, ab his causis sæpe morbos contagiosos dependere; quin imo morbis petechialibus hoc anno graffantibus aliquam pariter symbolam contribuisse lubens admitto; verum hanc unicam, & principem fuisse hujus epidemiæ contagiosæ causam, vix mihi persuaderi patiar. Arbitror enim potius rubiginosam anni 1757. constitutionem, quæ omnis fere generis vegetabilia infecrat, fuisse potiorem hujus epidemiæ pe-

techialis rationem. Fundamentum talia supponendi est.

CLXXXVI.

Primo: quia ex relationibus constat, & omnes ruricolæ norunt, anno 1757. omnis fere generis vegetabilia, non tantum in ditionibus austriacis, sed in aliis pariter diffitis regionibus a rubigine multum detrimenti persensisse; unde factum est,

CLXXXVII.

Secundo; ut hoc malum contagiosum primo inter plebejos, dein tandem inter milites grassari cœperit; quod non evenisset, si prædicti mali causa ex castris peti deberet.

CLXXXVIII.

Tertio: quia contagium hoc petechiale, uti ex relationibus constat, multas alias, & diffitas provincias, ubi nullæ militiæ, nulla castra, nullaque prælia erant, tenebat, & quidem priusquam in castris grassabatur; adeoque signum est, quod

ex

ex prædictis esculentis rubiginofis putridis originem duxerit.

CLXXXIX.

Quarto: quia observationibus notum est, quod contagium hoc petechiale adveniente tempore verno mitigatum, in æstate tandem fere deletum fuerit. Cujus alia ratio esse non potest, quam quod recentia, & bonæ notæ vegetabilia hoc fugaverint malum; cum tamen ex contraria opinione oppositum evenire debuisset; nam erat eadem belli sœvities, eadem, quin imo major annonæ caritas; caloris tempore verno, & æstivo ad putredinem generandam, & augendam major vis, etenim omnes noverint, contagium facilius, & magis propagari temporibus, & regionibus calidioribus, quam frigidioribus. Quare majore cum fundamento judicare possumus hoc malum petechiale ab esculentis rubiginosis, & putridis derivatum, & de in ab iisdem esculentis pub-

ribus, & salubribus cicuratum atque tandem suppressum fuisse. Simile quid legi potest in actis med. Berol. Decad. II. vol. VI. & alibi ut in annalibus Vratislaviensibus ann. 1716. 1727. ubi morbus malignus contagiosus a secali rubiginoso, alias corniculari dicto, inductus a salubribus, & melioris notæ alimentis ex fano medicorum consilio propositis, & Princis munificentia suppeditatis, non tantum mitigatus, sed plenarie abactus fuit.

Ex his, quæ de rubigine hæc tenus dicta sunt, possunt sequentia deduci corollaria, & quidem

CXC.

Primo: quod sicut homines ab esculentis rubiginosis diversos morbos contagiosos contrahere possunt, ita pariter saepe eveniat, ut animalia bruta maximum sanitatis detrimentum cum deplorabili eorum strage ab iisdem percipient, & experiantur: si enim pascua prædicto rore

cor-

corrupto conspergantur, siveque a brutis
in usum, & escam ducantur, facile fieri
potest, ut eorum corpora ad morbos pu-
tridos, & contagiosos disponantur, uti
superius jam de apibus, & cicadis dictum
est; quando enim haec materia maligna
contagiosa in uno, alterove semel in actum
deducitur, facile dein aliis, præcipue ve-
ro illis, in quibus ex iisdem pascuis aliun-
de aliqua mala dispositio subest, commu-
nicatur, siveque propagatur, & multipli-
catur; experientia enim constat, quod
secale rubiginosum seu cornutum sicut in
hominibus, ita etiam in porcis, anatibus
corpus tam interne quam externe reddat
ulcerosum. Vide comment. de rebus in
medicorum gestis vol. VI. p. 508.

CXCI.

Secundo, quod in morbis contagio-
sis, sive isti homines, sive armenta te-
neant, parum, & rarissime ad prædictam
causam advertatur, cum tamen saepius, ac

vulgo creditur , deplorabilem præcipue inter armenta agat stragem. Sic a multis jam annis grassatur in Europa dira lues, quæ genus bovine , & ovile depopulatur, cujus alia vix reddi ratio potest , quam quod, cum eorum victus unice in his pascuis , & sæpe tali rubigine affectis consistat, hæc potius quam alia animalia bruta afficiuntur ; quæ, cum potiorem alimenti partem aliunde , quam ex pascuis habeant, non tam facile , nec tam frequenter , nec tam diu , talem experiuntur luem.

CXCII.

Hoc assertum confirmatur aliis observationibus, sed præcipue illa , quam Mead p. 157. affert ; nimirum in India orientali in urbe Surato quotannis inter indigenas grassatur pestis , a qua advenæ liberi manent ; rationem dat , quia carnibus , & vino utuntur. Ex quo infertur.

CXCIII.

CXCIII.

Tertio quare anno 1758. plebeji, & infimæ fortis homines præ reliquis prædicto morbo petechiali laborarint; etenim misera agricolarum fors in causa est, ut hi toto anni tempore alimenta ex vegetabilibus, rarissime ex carnibus, desumere debeant; si hæc putrida, & corrupta sint, mirum non est, illorum corpora ad tales morbos disponi; quemadmodum hoc legi potest in annalibus Vratislav. de annis 1761. & 1717. Item in actis med. Berol. Dec. 2. vol. VI. & in comment. de rebus in scientia natur. & medicina gestis vol. VI. p. 508.

Tandem deducitur

CXCIV.

Quarto: quare anno 1758. omnis fere generis exanthemata grassata fuerint? quod oppido rarum; nam variolæ, morbilli, purpura, petechiæ, scarlatina & rubiolæ, & urticata affligere solebant ge-

nus humanum. Superius jam dictum fuit, quod appropinquante æstate petechiae valericere inceperint, reliquorum vero exanthematum epidemia per æstatem adhuc perseverante; debemus itaque admittere specie diversa miasmata contagiosa in causa prædictorum morborum fuisse; quia ut jam dictum est, experientia constat vix non omnis generis vegetabilia illo anno rubigine affecta, & corrupta fuisse; adeoque diversam fuisse hujus corruptelæ causam; neque enim dici potest unum miasma omnis generis vegetabilia rubigine notare posse. Experientia ipsa contrarium docet; nam omnes œconomiæ rurali dediti norunt, aliquando unum, aliquando alterum, aliquando etiam plura ex vegetabilibus rubiginosa fieri, sic anno 1759. triticum fere unicum fuit saltem hic in Austria, quod putridissima rubigine affectum fuit, insontibus omnibus aliis; quod eve-

nire

nire non posset si materia rubiginosa unius esset naturæ seu, ut dicimus, speciei.

CXCV.

Quapropter rubigo non sine ratiōne pestis vegetabilium vocari solet; adeoque sicut in animantibus luem humanam, bovinam, equinam, caninam, & reliquorum specie inter se distinctam superius jam demonstravimus, idem dicendum erit de rubigine, seu de lue vegetabilium; debet etenim admitti, quod in uno sicut in altero casu in uno subiecto potius & facilius, quam in altero fiat talis seminis verminosi evolutio, & multiplicatio, quod ex analogia germinationis, infisionis & inoculationis vegetabilium concipere & demonstrare valemus.

Hanc nostram de rubigine sententiam Fracastorius Lib. I. de siphilide elegan-
tissimo, & doctissimo carmine exacte &
ad unguem expressit.

Nunc

*Nunc age, non id te lateat super omnia
miram*

*Naturam, & longe variam contag-
bus esse,*

*Solis nam sæpe arboribus fit noxius
aër,*

*Et tenerum germen, florumque inficit
honorem*

*Interdum segetem, & sata lœta, anni-
que labores*

*Corripuit, scabraque usit rubigine
culmos,*

*Et vitiata parens produxit semina
tellus.*

Ex quo ratio facile erui potest, qua-
re a pascuis vitiatis, & rubiginosis certa-
tantum animalia v. g. boves afficiantur,
infontibus, manentibus omnibus aliis,
qui eisdem vescuntur.

Pariter ex his, quæ hucusque dixi-
mus patet, quod ex nostris de contagio
principiis multa problemata, difficilesque
quæ-

quæstiones, alias irresolubiles, solvi & enodari possint. Sic illa celebris quæstio, quæ jam bis, id est anno 1759. & 1760. in Hollandia ad solvendum proposita fuit, ex nostris fundamentis facilius, quam ex quibuscumque aliis, concipi, & exponi potest. Quæstio enim fuit, quare hoc tempore lues bovina diutius, quam alias grassetur?

Huic enim quæstioni responderi potest, quod ex nostris principijs semina cujuscunque contagii in sui evolutione, propagatione & multiplicatione considerari debeant, ut omnia alia semina tam vegetabilium quam animalium.

Quapropter sicut mutiplici observatione constat, certa semina vegetabilium aliqua annorum serie magis & uberiorum, alia iterum minus & parcior propagari & multiplicari; idem pariter dicendum erit de seminiis contagii v. g. luis bovinæ.

Sic

Sic ex sacris literis nimirum Genesis cap. **XLI.** constat, integro septennio uberrimam fuisse messem, alio vero septennio parcissimam, magnamque annonæ caritatem extitisse.

Talem annonæ ubertatem, aut difficultatem sæpe & longa annorum serie viginisse in pluribus annalium scriptoribus legere possumus.

Præterea cuilibet notum est tam in vegetabilibus, quam in animalibus definitum esse florendi & prolificandi tempus, & terminum; quædam enim illorum brevi, quædam longa annorum serie prolificant; tandemque deficiunt, & emoriuntur.

Si itaque hæc & similia propter jam dictam analogiam, applicentur seminiis contagii, quod multis jam annis armenta depascitur, facilius quam ex quocunque alio principio causa, quare tamdiu sæviat, concipi & cognosci poterit.

Quia

Quia hoc ipsum in peste, quæ sæpius genus humanum affligebat, multoties observabatur, quod una pestilentia citius, alia vero tardius defervuerit, ut quisque in chronologia pestium, a quam plurimis autoribus scripta, legere potest.

Item pro coronide patet, quanto ne-xu contagium, putredo, & rubigo invi-cem jungantur; ut de contagio dicturus una fidelia, & putredinis, & rubiginis naturam attingere, & exponere debeat quisque. Ne vero, quæ nos de rubige-ne diximus, ad libitum, aut ex imagina-rio aliquo conceptu effati fuisse videamus, in majorem nostræ opinionis probationem, firmioremque confirmationem, adducemus illa, quæ eruditissimus & indefessus natu-ræ scrutator Needham de rubigine sensit, & repetitis experimentis comprobavit in suo elegantissimo tractatu de novis inven-tionibus per microscopium, primum An-glico sermone edito, dein in Gallicum
idio-

idioma verso. Sequentia ad nostrum scopum faciunt: cap. 8. de rubagine frumenta corrumpente pag. 99. sic ait: *La Nelle est une maladie du blé, dont elle détruit la substance farineuse, qui est au dedans, & introduit à sa place une matière étrangère, qui ternit & noircit le grain, au moins extérieurement. Cette matière est ou une poussière noire & fort fine, mais dont les parties, vues au microscope, n'ont point une figure uniforme; ou c'est une substance blanche, toute composée de longues fibres; empaquetées ensemble, & qui ne donnent aucun signe de vie ou de mouvement, si on les expose au microscope, telles qu' on les tire du grain, sans leur appliquer de l'eau. La première fois que je les découvris, je n' avois d'autre dessein en leur appliquant de l'eau, que de développer ces paquets, afin que je pusse examiner les fibres plus commodément; je fus par conséquent bien surpris de les voir en un instant prendre vie, & se mouvoir régulièrement.*

rement, non d'un mouvement progressif, mais en tortillant chacune de leurs extrémités, & persévéérer dans cette agitation jusqu'au lendemain.

J'ai repété cette observation en divers tems, avec cette différence seulement, c'est qu'au commencement, lorsque les grains étoient cueillis recemment, & qu'ils étoient encore mous, il suffissoit d'en tirer les animalcules, & leur appliquer de l'eau, pour les voir remuer; mais ensuite, lorsque ces grains ont été gardés quelque tems, il m'a fallu les macérer dans l'eau pendant quelques heures, & alors quand j'en tirois les animaux, je les voiois s'animer peu à peu, lorsque je les exposois au microscope dans une goutte d'eau; au lieu que si je ne prenois pas cette précaution, il n'yen avoit presque aucun, qui donnât quelque signe de vie.

Comment ces anguilles, car je puis leur donner ce nom, parce que ce sont des animalcules aquatiques, qui ressemblent assez aux anguilles d'eau douce, avec cette différence cepen-

dant, c'est que leurs deux extrémités sont tout-à-fait semblables, sans qu'on y remarque aucune apparence de bouche ou de tête; comment ces anguilles, dis-je, subsistent-elles; d'où viennent-elles; si elles subissent quelque changement, en quoi se convertissent-elles? ou comment multiplient-elles? Je n'ai rien plus découvert là dessus: tout ce que je sais, c'est que j'en ai observé pendant sept ou huit semaines de suite, que j'ai conservé en vie uniquement en leur fournissant de la nouvelle eau: souvent j'en ai aussi laissé sécher, pendant quelques jours après que l'eau s'étoit évaporée, & ensuite elles ont repris vie dès que je leur ai redonné de l'eau fraiche. Mais ce qui j'ai actuellement desgrains de ce blé gâté par la nielle, qui ont été cueillis il y a plus de deux ans ici en Angleterre, où je les ai conservé secs pendant un été dans une boîte, & ensuite je les ai porté avec moi dans un climat beaucoup plus chaud, je veux dire en Portugal, où ils ont passé un second été, & cependant ils m'offrent en-

core

core à présent les mêmes phénomènes, sans que j'y puiss^e remarquer aucun changement.

La Nature singulière de ces animalcules, quelqu'['] inexplicable qu'['] elle soit en elle-même, nous fert de confirmation & nous met en état de rendre raison d'une observation qui a été faite par plusieurs habitans de la compagnie, & dont parle Mr. Bradley.

Hæc sunt benevole Lector, quæ de contagio in genere, & aliqua in particuli de eodem publici juris facere constitueram, plura super hoc stabilienda experimenta dabit favente Numine posterior ætas; etenim coram fateor, multa adhuc desiderari, atque superesse difficultates, quæ necdum enodatae, quæ aliis enodandæ relinquuntur. Multa pariter offendit fateor, quæ rigidus Zoilus carpere valebit, multa, quæ Eruditissimis quoque viris non sapient; quorum modestam & doctam censuram semper venerabor; neque enim huic quem admodum dixi sententia tam arcte inhæreo, ut, si melior profet, ab hac dimoveri non patiar.

Quare cum Eruditissimo Georgio Agricola de ponderibus & mensuris totus sentio: *judicia certe in literis olim fuerunt libera, nunc debent esse, & erunt posteris vel nobis invitatis; modo non sint levia, temeraria & iniqua.* Quod si eorum quispiam me in jus vocare ob hanc causam, & doctis accusare voluerit, rationibus agat, pugnet argumentis, testimonii, denique auctorum, si potest, convincat, omissis maledicis, & conviciis, ne nostra arrogantia, aut pertinacia, ne, quid aliud dicam, pericitetur veritas; que sane, ut accurate disputando exquiri, ita nimium altercando plerumque amitti solet. Id quidem, quod aequum est, postulo, quo neglecto, si quis omnino voluerit stomachari, & maligne in convicia prorumpere, ipsum suo magis obsuiisse non mini, quam meo optimus quisque, certo scio, judicabit.

F I N I S.

**ADDITAMENTUM
AD
TRACTATUM
DE
CONTAGIO**

pag. 142. 143. 144. &c.

S E U

**D
E LUE BOVINA AD FINEM
VERGENTE ANNO 1761. EPIDEMICE
GRASSANTE; ITEM DE EJUSDEM
CAUSIS, PRÆSERVATIONE, ET
CURATIONE.**

MUTATIONE
MUTATIO
CONTAGIO
SE

DE LUR BOANI AD EINEN
ARGENTINE ANNO 1612 PREDIGER
GRASSANTI; ITEM DE PROSE
CAUSIS TERRIBILIONUM ET
GRIEVOMUS

ADDI



SECTIO PRIMA

D E

NATURA, ET CAUSIS LUI^S BOVINÆ.

I.

Dum in meo Tractatu de contagio generales contagii causas expōnere, ac tum rationibus, cum obſervationibus eas firmare annis eram; attigi tandem CLVI. pagina 142. sed ſuperficialiter tantum, contagium particulare, & epidemicum, quod a tot jam annis inter armenta horrendam agit ſtragem. Declaravi ibidem ejusdem causas; adjeci quoque quædam remedia pro ſimiliū mor-

borum, tam præservatione, quam curatione; quæ ego & propria & aliorum experientia præ aliis, hucusque ad inventis deprehendi proficia.

II.

Cum vero hæc dira lues vergente ad finem anno 1761. de die in diem ingravescere, & suæ tyrannidis imperium, non tantum per Austriacas, sed per alias etiam ditiones extendere videatur; item cum singulares hic videam subesse causas, propter quas longe, lateque graffetur; consultum duxi, ut separatim de hac lue, ejus causis, & curatione verba faciam.

III.

Hanc luem eo magis horrendam, & Reipublicæ perniciosam existimo, quod ad plures animalium species evagari conetur; etenim non tantum, ut appareat, boves, sed hinc inde etiam oves, & equos agreditur; quapropter materiæ ipsius gravitas exigit, ut hanc armentorum pestem

dili-

diligentia, qua possumus maxima perscrutemur, & ruminemur.

IV.

Præliminariter enim judico, quod quilibet in similibus morbis versatus admettit, hanc bovinam luem esse epidemicam, & contagiosam; quod quamvis ex tractatu de contagio jam constet, tamen potest aliquis dubitare, an sit contagiosa; quia dicet, sufficere, esse epidemicam.

Verum, si ad intima contagii principia reflectamus, quilibet, qui sic asserit, fallitur; nam illud contagiosum dicimus, quod alteri communicari potest; quod autem ipsa lues bovina aliis sanis bobus saepe communicetur, ipsa proh dolor! loquitur quotidiana experientia.

V.

Si vero haec non sufficiat ad convincendum Adversarium, firmabit nostrum assertum alia experientia; quæ haud pridem in Anglia, & jam alibi instituta legitur;

qua constat, luem bovinam per inoculationem, & infisionem eodem modo sicut variolas, & morbillos communicari, & ultra propagari posse. Adeoque sicut variolas, & morbillos, ita etiam luem bovinam contagiosam, & communicabilem affirmare debemus. De hac re plura legi possunt in meo tractatu de contagio.

VI.

Ex quibus cum fundamento quidem concludere possumus, quod multa animalia bruta ex contracto ab aliis infectis contagio, tali laborent lue, a qua alias libera permanissent, si miasma illud contagiosum, ex adhibitis certis cautelis, non hausissent. Verum tamen hoc non satisfacit animo sciendi cupido, intimiusque res ipsas, earumque progressus, ruminanti; etenim sequentes difficultates, seu quæstiones adhuc solvendæ supersunt, ut

VII.

VII.

Primo: quare hæc miasmata luis bovinæ contagiosa hoc potius anno, quam alio grassetur?

Secundo: quare tantum bobus, & non aliis animantibus communicentur? Sic experientia docet, quod homines, canes, & alterius generis animantia libere, & impune cum infectis bubus versari possint. Debet igitur in ipsis bobus quædam dispositio ad suscipiendum, & evolendum tale miasma latere, quæ aliis abesse videtur. Unde vero ista dispositio derivanda sit, & in quo consistat? hic labor, hoc opus.

VIII.

Ad satisfaciendum propositis quæstionibus sane non ex alia, quam ex nostra de contagio hypothesi patet via; qualem jam prædicto tractatu pag. 145. sed præcipue ubi de rubigine agitur pag. 185 indicavi.

Ex-

Exinde enim constat, quod quando-
cunque a bobus exuberantia seminia ver-
minosa ingeruntur, illorum humores ita
inficiantur, & disponantur, ut facile, si
causa movens accesserit, ibidem sobolesce-
re, & in actum deduci possint.

Talia seminia verminosa dixi a certis
flantibus ventis Austrinis, item a pluviis
verminosis, sed præcipue pascuis rubigi-
niosis dependere; quæ dein, accendentibus
constitutionibus temporum humidis soven-
tur, ac tandem evolvuntur, diversosque
morbos epidemicos, & contagiosos cau-
santur. Hoc ipsum Hippoc. de morbis
popularibus, & in Aphorism. Lib. III.
affirmat.

Notabilis est pariter observatio, quam
Vitruvius de Insula Lesbo affert: In qua
Auster cum flat, homines ægrotant, quando
Corus, tussiunt, cum septentrio, omnes
in salubritatem restituuntur.

IX.

Ast dices: omnes prædictæ causæ vi-
dentur in hac constitutione, nimirum 1761.
non tantum in Austria, sed in aliis pari-
ter provinciis abfuisse: etenim tanta siccii-
tas, calorisque exuberantia totam obtinebat
æstatem, ut frumenta, legumina, olera,
fructus horæi, & pascua pro bobus ipsa,
magnum detrimentum, defectumque passa
fuerint.

Item nec Austri, nec Euronothi fla-
bant; neque vegetabilibus rubiginis quæ-
dam nota imprimebatur.

Quapropter videtur specialis quædam
causa subesse, quæ hoc anno boum cor-
pora ita disposuerat, ut hoc tempore lue
epidemica & contagiosa laborent, delean-
turque.

Ad quod respondeo omnino, in præ-
sente lue bovina speciales causas interfuisse;
& interesse quæ etiam me moverunt, ut sepa-
ratim illas exponerem, & coram fisterem.

Ut

Ut vero eo evidentius, clariusque asserti veritas pateat, necesse erit, ut constitutionem hujus anni vernalem, æstivam, & autumnalem quam brevissime delineemus.

XI.

Valedicente hiberno frigore imbræ frequentes, & exuberantes ingruebant, quales non tantum Austria, Bohemiam, Moraviam, Styriam, Carinthiam, Bavariam, sed & alias provincias in- & exundationibus affligebant.

Hoc monstrant ad hanc usque diem tristia diversarum ruinarum vestigia, quæ exundationibus fluminum, lacuum, rivulorumque debentur.

XII.

Hanc constitutionem nimbosam excipiebant intensi calores, & siccitates, quæ, ut jam dictum est, totam obtinebant æstatem.

XIII.

XIII.

Tandem his successit autumnus per quam humidus, densis, perpetuisque concomitatus nebulis; donec sub initium Decembris rigidissimum, & Danubium cogens ingrueret frigus.

XIV.

His præmissis supponi, quinimo, ut dein magis patebit; admitti debent, tempore humido, pluvioso, vernali quam plurima adfuisse seminia verminosa, dein evolvenda.

Verum tamen, cum tempore æstivo sufficiens, & necessarium pro eorundem fotu, & evolutione defuisset humidum, hæc, quatalia integra, & inertia in superficie terræ hæserant.

XV.

Præterea, cum ex eodem humidi defectu, campi, prataque minus graminea, minus viridescentia essent, graminis stamina, quæ alias denso agmine terram operire,

rire, & in longum extendi solent; rara, exilia, brevia, & fere exusta permansere.

XVI.

Ex quo patet necessitas, qua armenda premebantur, hæc stamina graminea ad radices usque suo prehendendi ore, quæ in graminis exuberantia prominentias tantum ejusdem abradunt, decerpuntque.

Unde dein evenit, ut una cum gramine quam plurima seminia verminosa, superficiem terræ occupantia prehenderent, & deglutirent; sicque iisdem totam massam humorum inficerent, ad putredinem, seu ad talium ovulorum evolutionem, qua data proxima occasione, disponerent.

XVII.

Hæc ipsa occasio, seu causa movens, & foyens se, præsertim in autumno obtulit, quo, ut dixi, tempestas humida cum densis, & perpetuis nebulis prædo-

dominabatur ; unde prædicta seminia fo-
vebantur, ut eo facilius dein in actum de-
ducerentur.

XVIII.

Hoc factum est in aliquibus bobus sine
contagio, nimirum propriis naturæ mo-
tibus, & fotibus ; in aliis vero cum con-
tagio ; dum videlicet miasma hoc vermi-
nosum, & contagiosum jam in actum de-
ductum, & sobolescens, aliis sanis com-
municabatur, in quibus cum homogene-
am, id est verminosam dispositionem of-
fenderet, eo facilius, & eo citius sobole-
sceret, & multiplicabatur.

XIX.

Ex his jam adductis, & præsuppo-
sitis principiis, quæstiones superius pro-
positæ facile solvi poterunt ; ut quare ni-
mirum hoc potius, quam alio anno hæc
dira lues fæviat ? Item quare præ aliis
animalibus genus bovine tali lue afficiatur ?
Et tandem : quare, & oves, & equi,

Tom. I.

O

quam

quamvis non eadem sœvitie, qua boves,
hoc anno tali contagio corripiantur? Ete-
nim hæc pariter animalia magnam partem
iisdem, quibus boves, vescebantur pas-
scuis; sicque iisdem seminiis verminosif
suos contaminabant humores.

XX.

Quod vero quam plurima ovula, seu
seminia verminosa, ut superius dixi, tem-
pore verno, & æstivo in superficie terræ
inertia hæserint, patet exinde, quod præ-
dominante in autumno humiditate magna,
& frequens infectorum culicum, crabro-
numque copia oppleverit terram, & aëra,
quod quilibet magno cum sui incommodo
expertus est.

XXI.

Interim prævideo, futuros, qui du-
bitent; an lues bovina a tali seminio ver-
minoso, deglutito, & ad massam humo-
rum delato dependeat. His ego oppono
observationes, quibus tales convincan-
tur,

tur, ut idem mecum sentiant: sic ex relationibus, quas quisque curiosus habere potest, constat, quod armenta, quæ raro, tarde, & domi prius jam saturata ad pascua ducebantur (si à contagio satis cautum erat) innoxia, & a tali lue libera perfisterint; quin imo adhuc talia persistant, quamvis alia in vicinia magnam partem jam deleta fuerint.

Quia hoc non obstante, quod talia armenta ad pascua ducta fuerint, tamen non illa aviditate, & illa profunditate graminea prehendebant, ut prædicta seminia verminosa una cum gramine deglutivissent; sicque, ut in aliis bobus factum est, suos humores inquinassent; unde etiam evenit, ut talia animalia, si a contagio cautum erat, sana, & integra permanferint.

XXII.

Talia exempla dantur plura, sic in oppido **Himberg** uno circiter milliari Viena distante, mense Octobri hujus anni

omnes vaccæ ad internecionem delebantur; exceptis tantum duobus præsepibus, nimirum Perill. Domini de Prandau, & alterius civis; quorum vaccæ, quia in æstate raro, & prius domi jam saturatæ ad pascua ducebantur, immunes a tali lue supervivunt. Idem contigit in multis aliis villis, & oppidis.

XXIII.

Denique ex his, quæ hucusque dicta sunt, patet causa materialis hujus truculentæ luis bovinæ, quæ in prædicto seminio verminofo, evolubili confitit.

Hujus asserti ulterior ratio deduci potest ex his; quæ in lue affectis, & quæ ex lue denatis armentis observantur; observantur autem sequentia.

XXIV.

Primo: dum incipiunt ægrotare, abhorrent ab omni cibo, avidius tamen solito solent hauirre potum. Tristes, &

caliginosos exhibent oculos. Vaccæ mox privantur lacte. Nares, lingua, fauces, denique totum os internum ulcerosum, & quasi aphosum apparet. Quare hæc videtur esse ratio, quod præ dolore ruminare quidem, sed non masticare valeant. Item ex eadem hac ratione fit, ut irritatis continuo narium, oris, fauciumque glandulis, muci, salivæ, lymphæque plus minusve fœtentis perpetuus fiat secessus. Ex quo dein exurgit, ut, nisi humorum deperditorum copia, per copiosum, & appropriatum potum resarciatur, fauces arescant, lingua fiat nigra, & stria-ta, anhelitus perquam difficilis, ac tandem gangræna & mors.

Aliquos diarrhæa cum sanguine ster-
cori mixto necat. Aliis vero, quibus
venter constipatur, tumor tympaniticus
accedere solet. Item alii, materia peccan-
te ad encephalon versa, derepente, ut
apoplectici corruunt. Adsunt sæpe alia

etiam symptomata, quæ hanc diram luem comitari solent, verum hæc, quæ adduxí, sunt præ alliis communiora.

XXV.

Secundo supersunt declaranda illa, quæ in exenteratione lue denatorum boum plerumque inveniuntur: In omnibus inveniebantur vomicæ, abscessus, qui vel pulmones, vel hepar, ventriculum, o-nasum, mesenterium, vel cerebrum, aliaque viscera occupabant, qui rupti, aperti magnam materiae putridissimæ copiam fundebant.

Isti abscessus videntur esse effectus ipsius morbi, in quantum materia morbi-fica in humoribus hærens per modum me-tastasis ad has partes deponitur, quas cor-rumpit.

XXVI.

Tandem tertio: sive materia illorum ulcusculorum nares, faucesque occupan-tium, sive illorum abscessuum miscrosc-

pio

pio exploretur, semper observantur innumerabiles vermiculi, quos etiam vide possumus, si humores, qui in vasis continentur, tali subjiciantur examini quod in tractatu de contagio jam demonstratum fuit. Unde etiam fit, ut, si portio talis materiae pro ejusdem morbi in aliis sanis bobus infestatione aut inoculatione adhibetur, idem morbus ulro propagetur; sicut in variolis, & morbillis fieri solet.

XXVII.

Ex quibus ulro causa materialis luis bovinæ elucescit. Quia, si eodem modo communicari, propagari, & multiplicari potest, sicut variolæ, necesse erit, ut eadem habeat pariter principia, nimirum seminia verminosa.

XXVIII.

Item exinde patet principium, & progressus morbi in lue affectis armentis: dum enim talia seminia verminosa evolvi, & sobolescere incipiunt, fit, ut par-

tim excrementis, partim ovulis totam massam humorum inficiant. Uti superius in tractatu de contagio de aqua nuceriana turbida, & foetida redditum est. Istae partes heterogeneæ massæ humorum mixtæ dein subsistunt in minimis vasis, glandulis, aliisque visceribus. Unde dein illa ulcuscula narium, oris, faucium, item vomicæ, abscessus, diversa occupantes viscera, derivari debent.

XXIX.

Quemadmodum enim in lue, seu peste, quæ proh dolor! genus humanum quandoque affigit, observantur illi præcipue talia miasmata pestifera facile contrahere posse, qui natura, temperamento, & ætate vegeti, & succulenti sunt; ita id ipsum, non tantum in hac lue bovina, sed etiam in aliis, alio tempore hic grassantibus, observabatur. Sic boves juvenes, vegeti, robusti, obesi præ aliis huic

huic morbo obnoxii erant ; minus vero
senes, debiles, strigosi.

Ratio hujus observationis non nisi ex
nostris de contagio principiis reddi potest;
quia in illis , sicut virtus generativa , ita
etiam virtus pro fotu , maturatione , &
exclusione , seu evolutione seminii vermi-
nosi quam maxime viget ; in senibus ve-
ro , & debilibus min.

SECTIO SECUNDA

De

Luis bovinæ præservatione , curatione ;
aliisque ad hunc scopum
spæctantibus.

XXX.

Ex his jam datis , & præsuppositis
de contagio , tam in genere , quam in
particulari principiis , sequitur methodus

O 5

tru-

truculentæ hujus luis bovinæ tum præservativa, cum curativa.

In simili enim lue bovina tria nobis exurgunt executioni danda officia.

Primum respicit fanos boves; ut videlicet illi a morbis præserventur.

Secundum versatur circa boves lue affectos; ut illi sanitati restituantur.

Tandem tertium, cuius pauci meminerunt, ut caveamus, ne grassante lue bovina, homines aliquod sanitatis detrimentum exinde capiant, contrahantque.

XXXI.

Ad officium præservationis, quo nimirum armenta fana conserventur, multa & fane longe plura, quam quæ in usum vocari solent, spectare videntur. Etenim conservandæ armentorum sanitati invigilare debemus, non tantum illo tempore, quo aliqua epidemica, & contagiosa lues grassari observatur; sed omni alio pariter tempore, ubi hæc longe abesse videtur.

XXXII.

XXXII.

Ista conservatio, & præservatio, ad quam perpauci attendunt, consistit in eo, ut armentorum ductores, & custodes, quantum possibile est, curent, & procurent, bobus potum aquæ puræ, & continuo motu depuratæ. Adeoque arceant, quantum fieri potest, armenta a potu aquæ desidis, & stagnantis, quia ex tractatu nostro de contagio constat, aquas stagnantes continere in se innumera animalcula, eorumque ovula; quæ una cum aqua deglutiuntur, subeunt circulum humorum, hos tandem inficiunt, & ad putredinem disponunt.

XXXIII.

Hoc est quidem verum; quod potissima horum heterogeneorum corporum pars una cum excrementis e corpore sedat; interim Clarissimo Lœwenh. subscribere non possum, quod quædam subtiliores portiones vasa lactea non subeant.

Hoc

Hoc evidenter videmus in illis , qui vermbus intestinalibus laborant ; hi enim corripiuntur s̄æpe febre , quæ ab illorum vermium exrementis , per vasa lactea ad massam humorum raptis dependet ; & miseros infantes s̄æpe ad marasimum dedit. Item experientia constat , quod minima portio ovi putridi deglutita excitet nauseam , vomitum , febrem &c. Vide Bœrhav. Chemiæ P. III. adeoque idem dicendum est de aquis fœtidis , putridisque.

XXXIV.

Præterea ad bonum ruralis œconomiae præfectum attinet , ut caveat , ne armenda ad pascua ducantur , dum hæc aliqua rubiginis nota consperguntur ; quia in tractatu de contagio ostendi , rubiginem certa seminia verminosa secumferre ; quæ in simili casu una cum pascuis deglutiuntur , massam humorum inquinant , & ad putredinem disponunt.

XXXV.

XXXV.

Si tamēn in simili casu armenta ad pascua ducenda sunt, hoc fiat tarde; dum nimirum sol suis radiis maximam similis seminii verminosi partem jam dissipavit, & ad superiorem, ut dicimus, aëra elevavit.

Hæc sunt, præ aliis, etiam tempore ab omni contagione libero perquam bene observanda, & in usum vocanda. Grasante vero inter armenta contagione, non tantum his mox dictis, sed etiam aliis cautelis opus erit, ut

XXXVI.

Primo: sana animalia caveant a pascuis, aqua, fœno, stramine, item ab omni supellectili, quo lue affecta animalia utebantur.

XXXVII.

Secundo: Ex eodem fundamento debet armentorum sanorum omne commercium cum infectis dirimi. Item infectorum

rum pastores , canes , homines debent ,
quam longissime fieri potest , a sanis abesse.

XXXVIII.

Tertio : Præsepio debent , quantum
possibile est , eonservari munda , diligen-
ter , & saepe ab omni humido , & putri-
do purificari. Huc spectant diversa suf-
fimiglia , uti & odores foetidi.

XXXIX.

Quarto : Pro præservatione commen-
dantur a Veterinariis , ipsa docente ex-
perientia , inustiones , & setacea. De qui-
bus vide Clarissimos Ramazzin , & Lan-
cisiūm. Ratio eorum effectuum est : quia
superius dixi , quod materia peccans so-
leat deponi ad diversa viscera , sicque illa
corrumpat : setacea vero hoc impediunt ,
in quantum materiam peccantem ad illas
partes , ubi excitantur , derivant.

Ex eodem fundamento debent institui
fortes , & frequentes strigli , aut alio in-
stru-

strumento aspero frictiones, quia sic transpiratio materiae peccantis promovetur: Huc etiam referri potest purus potus, & victus ex salubribus, gramine, aliisque vegetabilibus præsertim viridescentibus; unde dein fit, sicut de rubigine dixi, ut massa humorum corrigatur, illa, quæ heterogena illi insunt, a viribus vitae digerantur, sive cum lotio, excrementis aut alia via e corpore eliminantur.

XL.

Tandem quinto: Multa remedia a Veterinariis pro præservatione laudantur: talia sunt maximam partem alias alexipharmacæ dicta; ut angelica, carlina, scordium, imperatoria, vincetoxicum, baccæ juniperi, lauri, & similia, quæ roborant, & transpirationem promovent. Ex quibus dein pulveres, boli, decocta præparari possunt.

Ast, quamvis hæc & similia non improbem, quin imo in aliis, quibus armen-

menta affici solent, affectibus convenire judicem; non concipio tamen, quid in illo casu, ubi dispositio verminosa, & contagiosa, brevi evolvenda, in corpore latitat, talia efficere valeant. In simili enim casu unica vermifuga, & vermicidia sic dicta anthelmintica remedia indicari videntur. Quia hæc unica paria sunt vermino-
so huic seminio digerendo, destruendo,
& inerti reddendo, aut tandem sic dige-
sto, & præparato per diversas vias e cor-
pore eliminando.

XLI.

A vulgaribus autem anthelminticis in materia medica Venerabilis Boerhavii & Clariss. Gorter expositis, vix aliquid sperandum credo, quia hæc fere eodem modo, ut superius dicta alexipharmacæ angelica, carlina, imperatoria &c. vi-
res suas exerunt.

Adeoque recurrere debemus ad illud notum, universale & specificum anthel-
min-

minticum , videlicet mercurium ; de cuius virtute nullus practicorum hoc tempore difficultatem aliquam movere potest.

Difficultas igitur tantum supereft , qua ratione , & quomodo præparatus convenientius , & opportunius exhiberi possit.

XLII.

Ego multiplici experientia didici , quod mercurius dulcis cum camphora mixtus , & exhibitus omnibus aliis ejusdem præparationibus præferendus fit ; quia partes oleofæ , camphoræ mercurii dulcis partes acres ita obvolvunt , & irretiunt , ut genus nervosum , & vasculosum minus irritare valeant ; sicque majorem virtutem alexipharmacam , vermifugam & vermicidiam , minorem vero ad salivationem exerant . De hac mixtione mercurii dulcis cum camphora , & exinde resultante majore vi alexipharmacâ lege elegantissimum tractatum , seu observationes de pe-

ſtilentia Ucraniæ Eruditissimi Friderici Schreiberi.

XLIII.

Præſervationis gratia exhibentur quotidie ſcrupuli duo , aut ultro mercurii dulcis , & dragma dimidia aut ſcrupulus unus camphoræ. His ſoleo addere aliquid de affa fœtida , de myrrha , aut etiam de floribus sulphuris ; quæ cum prioribus mixta, in forma pulveris facile propinantr; ſic continuando per oētiduum , & magnam copiam liquidi ſuperbibendo.

XLIV.

Quia vero tale remedium miferæ ruficorum forti nimio eſſet pretio , judico , quod hujus virtus ſuppleri poſſit , decoctione mercurii vivi in aqua ; talis aqua mercurialis poterit miſceri cum aqua potus ordinarii . In quo caſu non aliæ eſſent expenſæ , quam lignorum , quæ ad decoctionem adhibentur . Experientia autem omnium practicorum conſtat , quod talis aqua

aqua decocta in corpore humano virtutem
vermifugam & vermicidiam exerat; unde
non video rationem in contrarium, quare
non idem efficere possit in corporibus bru-
torum.

XLV.

Item sat levi pretio posset haberi re-
medium alexipharmacum, mercuriale ex
mercurio sublimato, & spiritu frumenti;
quod, sicut hoc tempore novimus, homi-
nibus sine omni noxa, & periculo propi-
nari posse, ita nullus dubitarem, quin
idem remedium etiam brutis impune exhi-
beri possit.

Hæc tamen cautela in exhibitione
hujus remedii, sicut mox antea de mercu-
rio dulci dixi, adhibenda est; ut copio-
sus potus aquæ cum furfuribus, aut hor-
deo, aut ejusdem farina decoctæ subse-
quatur. Hoc valentissimum in multis con-
tumacissimis morbis remedium, uti & plu-
ra similia Illustrissimo, Eruditissimo D.

L. B. van Swieten debemus. Sed de hac materia mox sequentur plura.

XLVI.

Pro coronide quæri posset, an purgationes & venæsectio aliquid ad præservationem conferre possint?

Respondeo, quod sicut hæc duo remedia homines, grassante inter illos aliquo morbo contagioso, ab illo non præservant, quin imo potius noceant, quia vires exhauiunt, idem dicendum fit in nostro casu.

Hæc sunt, quæ conservationem & præservationem armentorum a lue grassante concernunt. Ordine sequitur, ut de armentis lue affectis, sanitati restituendis agamus.

XLVII.

Dum grassante inter armenta contagione prædicta XXIV. exposita signa in aliquo horum adsunt, concludere jam possumus, tale animal eadem lue affectum, & infe-

infectum esse; quare quantocius hoc a sanis, vel, quod melius, sana ab hoc, separari debent.

Multi Veteriniorum solent mox ad purgantia, & largissimas sanguinis detractiones confugere.

Verum cum his caute mercandum; nam purgantia acria, draistica febrem, putredinem, & morbum augent: profusa sanguinis detractio vires materiae peccanti digerendae necessarias aufert, unde plus nocet, quam prodest.

Verum tamen si calor, fitis, & febris sit vehemens, si vires adsunt, poterit sectio venæ, vel sub lingua, aut in cauda, vel alibi institui. Sicut purgantia draistica nocent, ita lenitiva, & antiphlogistica probantur; uti sunt decocta prunorum, tamarindorum, & similiūm, quæ pro potu ordinario exhiberi possunt.

Item inustiones , setacea ex eadem,
ut superius dixi ratione hic pariter con-
veniunt.

XLVIII.

Cura , quæ in lue affectis bobus in-
stitui solet , est multiplex ; aliqui enim
diversa alexipharmacæ , acria , volatilia
in usum vocare solent , quibus plus de-
trimenti , quam emolumenti afferunt,

Alii vero in cura antiphlogistica sub-
sistunt , quæ constat ex decoctione hor-
dæi , avenæ , aut eorum farinis , furfu-
ribus ; item malva , althæa , & nitro ;
tales decoctiones pro potu ordinario in
usum vocantur.

XLIX.

Quidam exhibent superius jam expo-
sita alexipharmacæ , ut angelicam , car-
linam , scordium , flores sambuci , bac-
cas juniperi , & similia ; quæ vel in pul-
vvere , vel in bolo ; item cum aqua aut
aceto decocta propinant.

Ve-

Verum Eruditiss. Lancisius afferit, omnia hæc remedia vel indifferenter se habent ad ipsum morbum, vel plus danni, quam emolumenti afferunt.

L.

Quapropter multi alii diversa & valentiora experti sunt remedia, a quibus plus commodi sperandum est.

Sic Clariss. Ramazzini laudat, & suadet in simili lue bovina corticem peruvianum: propter analogismum ab hominibus, quibus in febribus malignis contagiosis perquam proficuus esse solet.

LI.

Alii vero, inter quos princeps est Expertiss. Christ. Salckow. Medicus Berlinensis, laudant, extollunt vitriolum album, sed nimis laboriose præparatum.

Primo enim ter infunditur, & digeritur cum aceto vini; dein ter cum urina pueri, ac tandem ter cum spiritu vini; dein inspissatur ad ignem, & conservatur

in vase vitro, ne liquefacat. Hoc sal propinatur ad duas, tresve dragmas pro dosi, & bis de die in aliquo liquido; cui etiam magna quantitas alicujus liquidi antiphlogistici jungi debet.

Hoc remedium dicitur esse specificum in morbis malignis tam hominum quam brutorum.

LII.

Ast mihi præplaceret compendiosa methodus vitrioli exhibendi in lue bovina, quam habent Eruditissimi, Fridericus Börnerus Medicus Wittenbergensis, & Gerhardus Wagner. Isti Expertissimi Viri exhibent ægris bobus quotidie unciam dimidiam vitrioli albi, cum sufficiente quantitate mellis exakte mixti, in liquore appropriato, &, ut asserunt, optimo cum effectu.

Ego hanc dosim divisi in duas æquales, quarum unam mane, & alteram a meridie propinari curavi.

Item

Item curabo, ut habeam in posterum plures occasiones hoc remedium experundi, & definitive aliquid de ejus virtute vermicidia, vermifuga, & alexipharmaca statuendi.

Supereffent multa alia remedia, a diversis Autoribus exaltata, verumtamen, quia vel inertia sunt, vel quia cum his, quæ jam exposui, convenient, misfa facio.

LIII.

Illius vero remedii pro lue bovina curanda, quod in meo tractatu de contagio exposui, hic meminisse oportet.

Hoc remedium pro basi habet mercurium dulcem, & camphoram, his dein pro diversa ratione & indicatione potest addi vel assa foetida, vel myrrha; nitrum vero plerumque.

Dosis mercurii, ut XLIII. dixi, est ad scrupulos duos, camphoræ vero ad dragmam dimidiam.

Talis dosis debet propinari bobus lue affectis bis de die in liquido appropriato, donec videantur melius habere, quod intra quatuor aut quinque dies, aliquando etiam prius evenire solet. Tunc autem exhibetur una tantum quotidie dosis, superbibendo copiosum potum appropriatum.

Potus vero, quem ego exhibere soleo, est decoctum antimonii crudi cum hordeo, aut avena, aut cum eorum farinis; quod est antiphlogisticum & anthelminticum.

LIV.

Ex his, ut mihi ab illis, qui bobus lue affectis præerant, relatum fuit, fit copiosior muci, salivæ, plus minus viscidorum per nares, per os secessus; quieo magis promovetur, si fiant frequentes oris nariumque ablutiones, abstersiones, & cum syringa ex mox dicendis liquoribus injectiones. Sic enim animal morbidum, triste, languens, & promisso capite rumi-

nans

nans, videtur brevi fortius, caput facilius attollere, magis appetere, ac tandem resipiscere.

LV.

Hoc remedio superioribus jam annis, grassante inter armenta contagione, magno cum emolumento saepe usus fui. Ast in epidemia, quae nunc, nimirum anno 1761. genus boville afflit, & infestat, majore quam unquam attentione idem remedium in usum vocavi; & ab omnibus veterinariis, qui ægris bobus præerant, accepi, quod a nullo alio remedio meliorum effectum, sive præservative, sive curative hoc exhibitum fuerit, experti sint, quam ab illo, quod mox descripsi.

Quapropter etiam atque etiam aliis, quibus copia hujus experiundi remedii datur, ejusdem usum, ejusque effectuum diligentem annotationem commendeo, ut cognoscant, hoc aliis hucusque notis remedii anteferendum esse.

LVI.

LVI.

Superius jam dixi, quod doleam, hoc remedium pro pauperculis ruricolis nimio esse pretio; unde etiam judicavi, huic remedio aquam decoctam mercurialem, potui ordinario mixtam, vel mercurium sublimatum cum spiritu frumenti, illi substituendum fore, servatis tamen cautelis superius jam notatis. Etenim experientia practicorum constat, hæc remedia in corpore humano vermifuga, & vermicidia esse; item sine noxa, & impune in usum vocari posse; Cur igitur in corporibus brutorum eosdem exerere effectus non valeant, vix quisquam inficias ibit. Unde formula ultimi remedii sequens esse poterit:

℞. Mercurii sublimati gran. V.

spirit. frumenti unci. X.

misc. d. ad. vit.

Optima proportio mercurii sublimati respectu spiritus frumenti, quæ in præscriptione hujus remedii observari debet,
est

est illa, qua primus se habet respectu secundi sicut unum ad 960. Quæ proportio habetur in formula adjuncta.

LVII.

In usu hujus remedii possumus incipere a minore dosi, & successive ad maiorem ascendere. Sic, si præservative hoc remedium bobus sit propinandum, exhibatur prima die unum cochlear mane, & alterum a meridie ; secunda die duo cochlearia mane, & duo a meridie ; tandem nychthemeris spatio possumus etiam ultro ascendere, & omni trihorio, aut quadrihorio duo propinare cochlearia ; sicque continuando per octiduum, dein vero minuendo dosim, successive ad duo cochlearia descendere.

LVIII.

Si vero hoc remedium bobus infectis sit exhibendum, poterimus eandem propinandi sequi methodum, sicque continua-

re,

re, donec morbi boves resipiscere videantur.

Hic pariter, uti superius jam dixi, monendum est, ut huic propinato remedio copiosus potus demulcens, & antiphlogisticus adjungatur.

LIX.

Hæc, quæ hucusque dixi, concernunt præservationem & curationem luis bovinæ; supersunt adhuc aliæ indicaciones ad curationem pertinentes, quæ urgentiora symptomata, luem bovinam concomitantia, respiciunt, & mitigant.

Primum dolorificum, molestum & periculosum symptomata, quod in bobus lue affectis observatur, sunt illa ulcera, quæ nares, faucesque occupant, & sæpe se ad pulmones, omasum, ventriculumque extendunt; unde dein non tantum difficultis masticatio, sed & laboriosa deglutitione evadit.

In

In simili casu debent fieri , & saepe repeti oris lotiones , ablutiones , & abstersiones ex decocto hordei , avenæ , malvæ cum nitro & melle.

Si vero talia ulcera profundius haerent , & deglutitio fiat difficultis , quia manus ad locum affectum penetrare non possumus , debemus in simili casu alicui virgæ , subtiliori bacculo , aut testui spongiam , aut lintea convoluta alligare , & firmare ; haec dein prædictæ decoctioni intingere , & partes affectas saepius attingere , sicque , quantum possibile est , lenire .

Hunc effectum eo citius obtinere poterimus , si ex eodem decocto fiant cum syringa in fauces injectiones . In quo casu , si magis demulcentia expetantur , poterunt ipsi decocto diversa mucilaginosa , ut semina cydoniorum , psylii , item althæa , malva aut similia adjungi .

LX.

Aliud vero symptoma , quod XXIV. exposui , nimirum diarrhæa , aut dysenteria cum atrocibus ventris rofionibus , citissimam gangrænam & mortem minatur . Si enim talia adsunt , signum est , quod materia peccans , acris , caustica ad intestina conversa , similem ulcerosam constitutionem ibidem efficiat , sicut dictum fuit de ulceribus oris , & faucium .

Quapropter in simili casu debent diversa , & copiosa diluentia , mucilaginosa , roborantia , & anodyna in usum vocari .

Diluentia & mucilaginosa haberi possunt ex decoctione hordei , aut ejus farina , malva , althæa , tormentil. bistorta , & similibus .

Ad roborantia spectant diversa , dummodo non sint volatilia , talia sunt : mirabolani , theriaca veneta ; quin imo juxta mentem clarissimi Ramazzini , ut

jam

jam dixi, cortex peruvianus, qui non tantum interne ad unciam dimidiam prodosi aliquoties de die propinari poterit, sed poterit quoque cum prædictis mucilaginosis coqui & per modum enematis fæpius injici.

Similibus clysteribus, tam roborandi, quam dolores sopiendi causa addere possumus quandoque unciam circiter dimidiam theriacæ venetæ.

Item cum priore decocto possunt coqui duo, aut tria capita papaveris albi una cum seminibus & corticibus contusa ; dumque dolores, & tormina urgent ; quod ex diversa conversione , convolutione corporis, & boatu cognoscitur , in alvum injici.

Si hæc , quæ annotavi, fiant materia acris & caustica intestina continuo irritans temperabitur, abluetur , abstergetur ; partes læsæ , & debiles, roboretur.

Tom. I.

Q

bun-

buntur ; & tandem dolores ventris mitigabuntur.

LXI.

Quemadmodum autem evenire solet , ut venter nimium solvatur , continuoque fluat ; ita saepe contingit , ut superius insinuavi , ut stringatur & obstruatur ; in quo casu fit , ut neque excrementa , quin imo nec lotium secedat , venter attollatur , infletur , & tympanitidem repræsentet .

Si hæc ideo fiant , quod in aliquo abdominis viscere hæreat abscessus ; aut si serum sit jam extravasatum , tunc omnia medentium conamina & superflua & irrita sunt .

LXII.

Si vero vasa necdum sunt rupta , aut erosa , sed tantum distenta ; si causa intra intestinorum canalem hæreat , tunc spes superest , ut hæc solvatur , & e corpore eliminetur .

Hoc

Hoc fit methodo, quæ quidem Medicis, sed Veterinariis vix inculcari potest. Nam, si ex certis signis videatur, ut plerumque esse solet, inflammatio cum hoc affectu conjuncta; & animal affectum adhuc viribus constare; debet fieri congrua sanguinis detractio; fecus enim, si hæc non instituatur, presso pede gangræna, morsque ingruunt.

In hoc statu potus debet esse ex radicibus asparagi, graminis, petroselini, floribus genistæ, & similibus, sed semper cum copioso nitro.

His, si febris remissior adsit, baccæ juniperi, alkekengi cum diversis Roob, ut ebuli, juniperi, de spina cervina, adiungi poterunt.

Item clysteres debent pariter saepius injici, tales constare possunt ex decocto herbæ mercurialis, baccarum juniperi, aut etiam ex antea dictis Roob, quibus magna copia salis polychresti, aut nitri;

aut in hujus defectu, salis communis addi potest.

LXIII.

Hæc ipsa remedia convenient pariter, si prædictus tumor tympaniticus fit sine inflammatione. Diversitas enim curationis in eo tantum consistit, quod in hoc casu fortiora, acriora magisque tam excrementa, quam lotium promoventia in usum vocari possint.

Hæc sunt symptomata, quæ morbos armentorum plerumque concomitari, & tam molesta, quam periculosa esse solent.

Pro horum curatione adduxi communissima, & perquam vulgaria remedia, quæ etiam ruri cuilibet nota, & sine, aut saltem levissimis expensis haberi possunt.

Item unicuique hic inculcatum velim, quod meus hicce scopus fit, ut morbos armentorum contagiosos solum, non vero alios, quibus bruta vexari solent, explanem, exponam.

Alii

Alii enim brutorum morbi , prout alias , & diversas habent causas, ita etiam diversam , cuius hic solitus non sum, exigunt curationis rationem.

LXIV.

Tandem supereft exponendum ultimum, quod sectione II. numero XXX. proposui , Medici officium ; quod in eo confifit, ut pro poſſibili caveamus , ne ex contagione armentorum homines aliquod detrimentum , labemque capiant, contrahant.

Cuilibet notum eft, quantum proh dolor ! detrimentum œconomiæ domesticæ & rurali ex grassante lue bovina afferatur. Exinde enim filet & languet agrorum tam necessaria cultura , quam preſſo pede ſequitur annonæ caritas , ad faciendam fermentem difficultas ; ac tandem ad præſtanda prædiorum vectigalia imposſibilitas, & reliqua hujuscemodi damna in Rempublicam redundantia.

Quomodo vero his tam præservative, quam curative obviam eundum sit, superius jam dictum fuit; reliqua vero a Clarissimis & Expertissimis Reipublicæ curatoribus potius, quam a Medicis dependent.

LXV.

Est vero aliud damnum, quod hominum sanitati, tempore bovillæ pestis, imminet, insidiasque minatur.

Nullum inter bruta animal videtur homini, non tantum ad ejusdem œconomiam, verum etiam ad ejusdem nutrimentum tam opportunum, tam necessarium, quam armenta ipsa. Huc spectant eorum carnes, lac, butyrum, caseus, sevum, adeps, corium, denique omnes eorum partes habent certos inter homines usus.

Si istæ partes sint sanæ integræ, & sine labore, sanitati tam facile non officiunt; secus vero, si jam corruptæ, putridæ, aut corruptioni proximæ existunt, tunc sanitatem facile lædere possunt.

Hoc

Hoc ipsum legimus in sacris litteris, ubi fracidæ carnes, adeoque eo magis jam putridæ, prohibentur. Sic Deuter: capite XIV. *Quidquid autem morticinium est, ne vescamini ex eo.*

Ex quo patet, quod æterna providentia nos a similiū carnium usu, & esu dehortetur, ne sanitas exinde detrimentum aliquod capiat.

In hoc videntur quidam Medicorum plane opposita sentire; nam aliqui nimis laxi, & liberales, carnes bubulas, lacticinia tam sanorum, quam infectorum boum insontia esse autumant; quales erant quondam Medici Patavini: uti videre est apud Ramazzinum.

Alii vero nimis rigorosi, & scrupulosi judicant, grassante lue bovina, ab omnibus carnibus bubulis & lacticiniis tam sanorum, quam infectorum boum, abstinentendum esse: de quibus mox plura dicemus.

LXVI.

Quapropter in opinionibus tam contrariis, & oppositis judico, grassante lue bovina sequentes regulas observandas esse.

Primo, ut cadavera lue denatorum integra, & una cum pelle quantocius, & sat profunde tumulentur.

Secundo, ut lege, & Authoritate publica caveatur, ne aut carnes, aut lac infectorum animalium in usum vocentur.

LXVII.

Istæ duæ regulæ indigent ulteriore explanatione & probatione; eo quod prævideam eas non ab omnibus probatum iri.

Difficultates enim, quæ contra moveri possent, consistunt potissimum in eo, quod ex datis de contagio principiis constet, quod materia peccans contagiosa suæ inhæreat quam attingit, speciei, neque ad aliam soleat evagari speciem; sic nos ipsi diximus, & ipsa experientia docet, quod homines, canes impune, sine noxa,

&

& sine periculo inter armenta infecta versari possint.

Unde supponendum est, quod, quamvis carnes, lac, & alia brutorum infectorum in usum vocentur, homines talem luem exinde non contrahant.

LXVIII.

Ad hoc, quod hic opponi solet, respondeo, quod materiæ, de qua hic agitur, gravitas Reipublicæque commodum requirat profundam, seriam, & reflexam attentionem, antequam quidquam hac de re decernamus. Hæc non debet ex quibusdam subtilioribus quæstionibus, aut hypothesibus erui; sed ex ipsis rebus, seu ex ipsis repetitis, sæpiusque captis observationibus peti.

LXIX.

Observationes autem, quæ grassante lue bovina longa annorum serie confirmatae habentur, sunt sequentes. Sic

Observamus primo , quod carnes, lac,
& alia ex lacte , ut caseus , butyrum ,
animalium infectorum hominibus noxia ,
& morbifica esse soleant.

Ratio hujus est , quia talia jam sunt
plus , aut minus putrida , adeoque fovent
in se certa miasmata verminosa , quæ ,
si in cibum ab hominibus assumantur , suc-
cessive massam humorum inquinant , ad
putredinem , & tandem ad diversos mor-
bos putridos disponunt ; quod fit , prout
in similibus subjectis , diversa humorum
dispositio subest.

Unde verum quidem est , quod in
simili casu diversi morbi putridi exinde ex-
urgant , qui tamen specie ab illa lue bo-
vina differunt ; eo quod alia seminia ver-
minosa in humanis corporibus jam præ-
existentia exinde in actum dederantur ; ve-
rum quamvis concederemus illa ipsa se-
minia carnis bovillæ putridæ etiam una
evolvi , tamen exinde inferri non potest ,
quod

quod morbus exinde resultans sit idem spe-
cie cum lue bovina; quia caro bubula pu-
trida continet in se seminia verminosa, di-
versa ab illis, quæ sunt causa luis bovillæ;
etenim in denatis ex aliqua lue anima-
libus, illud miasma contagiosum, quod
sunt causa talis luis, videtur jam aut diffi-
patum, aut iners redditum; dum vero
tale corpus, ut fit præcipue post mortem,
sensibiliter putrescere incipit, tunc evol-
vuntur alia seminia verminosa, quæ prius
inertia in corpore latebant; & talia spe-
cie, ut dixi, differunt ab illis, quæ ta-
lem luem efficere valent, ut dein clarius
patebit.

LXX.

Eodem modo considerari debet alte-
ra observatio:

Observamus nimirum secundo, quod,
si cadavera non debito modo tumulentur,
suo putrore, seu miasmate putrido ver-
minoso aëra inficiant; hoc dum partim
ipsa

ipfa inspiratione, partim salivæ deglutitione massæ sanguineæ communicatur, eandem inficit, ad putredinem & morbos putridos disponit.

Hoc proh dolor! videmus, dum ex comissis præliis cadavera aëri exposita putrefescunt, & aëra inficiunt.

Id ipsum pariter observamus ex noctiis paludum effluviis, dum enim desides, stagnantesque aquæ una cum diversis vegetabilibus, iisdem mixtis, putrefescunt; tunc vicinum aëra pariter putrido miasmate afficiunt, inquinant; ut vicini incolæ, qui hunc inspirare debent, diversis exinde febribus putridis laborent. Ut talia apud Eruditissimum Lancisium quiske legere potest.

LXXI.

Quapropter his, tanquam certis observationibus præmissis, nemo mirabitur, si apud Authores fide dignos legat, luem contagiosam ab una animalium specie ad aliam

aliam transiisse, ut hoc fusius ostendi, & exposui in Tractatu de contagio.

Item mirari non debemus, quod inter armenta lue affecta, homines, canes sine notabili noxa versari possint; qui tamen ab eorum comedis putridis carnibus, aut ab eorum cadverum exhalationibus, tam facile laedi possunt.

Ratio hujus ex mox antea dictis defumi potest; quia alia est causa materialis illorum, quæ ex secundo, ut ita dicam, motu putrefactionis evolvuntur; & alia, quæ in viventibus ipsum morbum excitat, & foveat.

Ex quo inferre possumus, quod, grasse sante lue bovina, tam carnes, quam lacrimia sanorum boum sine noxa, quinimo sine periculo amittendæ sanitatis in usum vocari possint.

Ex quo fundamento etiam derivari potest ratio alterius observationis, qua videmus, cadavera post mortem, ex mor-

morbo contagioso illatam, non esse tam facile contagiosa, uti erant durante morbo, aut etiam tardius, dum fœtere, & secundo putrefescere incipiunt. Sic notum est, sandapilarios, & Vespillones, grassante inter homines peste, salvos & incolumes plerumque versari.

Quæ omnia, & plura similia intelligi, & concipi eo facilius poterunt, si parumper reflectamus ad illa, quæ in tractatu de contagio, de infectorum metamorphosi, item de diversis, quibus non tantum corpora animalium, sed & vegetabilium, constant seminiis animatis; sic enim concipiemos, quod non omnia simul, sed successive tantum sobolescant, & evolvantur.

Hic plura alia, quæ tam curationem luis bovinæ, quam, vel maxime ejusdem præservationem concernunt, dicenda esent; inter quæ insitio, & inoculatio luis

bo-


ANNO 1761. GRASSANTE 255

bovinæ, a me in tractatu de contagio jam
descriptæ, numerari debet. Verumta-
men, quia plures similes cautelæ apud
Eruditissimos, Ramazzinum, Lancisium
aliosque clarissimos Authores legi
possunt, tales missas facio.

F I N I S.



222-1927-100
MEDICAL SOCIETY OF KING'S COUNTY LIBRARY
LIBRARY OF THE MEDICAL SOCIETY OF KING'S COUNTY
LIBRARY OF THE MEDICAL SOCIETY OF KING'S COUNTY



ERRATA NOTABILIORA
IN
TRACTATU DE CONTAGIO.

Pagina	40.	Linea	9.	debent	loco	debet.
70.	-	-	2.	quare	-	quaer.
76.	-	-	1.	ita	-	item.
170.	-	-	2.	1757.	-	1751.
188.	-	-	12.	quæ	-	qui.
213.	-	-	4.	aphthosum	-	aphosum.
214.	-	-	8.	omasum	-	onafsum.
217.	-	-	9.	minus	-	min.





АТАЯЯ АТАБАТОЙ

и

RACTATU DE CONTRACTO

когда	когда	когда	когда	когда
сейчас	сейчас	сейчас	сейчас	сейчас
здесь	здесь	здесь	здесь	здесь
также	также	также	также	также
имеет	имеет	имеет	имеет	имеет
имеется	имеется	имеется	имеется	имеется
имеется	имеется	имеется	имеется	имеется
имеется	имеется	имеется	имеется	имеется





1578

6087561

